Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIX
C
35

Digitized by Google

Digitized by Google

76

CONRADI REDEKERI,

Med. D. & inclytæ Reipublicæ Bilſeldienſis Archiatri & Senatoris,

BREVIS DESCRIPTIO

Initio Julij anni M, D C, L X V I. detecti, ſaluberrimi

BILFELDIANI FONTIS,

& Uſûs ejuſdem.

Quam,

Cum ſubjunctis ſelectioribus Sanatorum Exemplis, Latinè reddidit, & nonnullis Animadverſionibus auxit

NICOLAUS HOBOKENUS,

Ultrajectinus, L.A.M. Phil. & Med. D. & in illuſtri ARNOLDINO Prof. & illuſtriſſ. D.D. Comit. atque Aulæ Steinfurtenſis Archiater.

Quænam accedant, adeoque univerſim hôc quaſi faſciculo contineantur, in ſubnexo Syllabo univerſali indicatur.



AMSTELÆDAMI,

Sumptibus JOANNIS JANSSONII à WAESBERGE, & Viduæ ELIZEI WEYERSTRAET.

M. DC. LXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Nobiliſſimo, ampliſſimo prudentiſſimoque Viro,

D.D. NICOLAO TULPIO, Reip. Amſtelredamenſis Ex-conſuli & Senatori, nunc verò illuſtrium & præpot. DD. Holland. Weſt-Friſiæque Ordinum Delegatorum Collegio adſcripto,

Medicæ artis excellentiſſ. cultori ac patrono,

ET

Eruditione, Experientiâ, ipſâque Arte nobiliſſimis clariſſimiſque
VIRIS,

D.D. FRANCISCO DELEBOE SYLVIO, Med.D. in Acad.Leidenſi,
D.D. FLORENTIO SCHUYLIO, Phil. & Med. D. ibidem,
D.D. HENRICO REGIO, Equiti, Phil. & Med. D. in Acad. Ultrajectinâ,
D.D. ISBRANDO de DIEMERBROEK, Med. D. ibidem,
D.D. HENRICO EYSSONIO, Med. D. in Acad. Groeninganâ,
D.D. . . . . FRENCELIO, Med. D. in Acad. Franecqueranâ,
D.D. JOHANNI COCHIO, Med. D. in Acad. Hardervicenâ,
D.D. THEODORO CRANEN, Phil.& Med.D. in Acad. Noviomagenſi,

D.D. GERARDO L. BLASIO ab OOSTVLIET, Med.D. in Athenæo Amſtelredamenſi,

D.D. RUTGERO LOENIO, Phil. & Med. D. in Athenæo Daventrienſi,

PROFESSORIBUS:

UT ET

D.D. FRANCISCO de VICQ, Colleg. Med. Amſtelredamenſis h. t. Decano, & Med. ibidem,

D.D. GUILIELMO PISONI, ejuſd. Colleg. Med. Præfecto, & Med. ibidem,

D.D. TIMANNO GESSELIO, Med. Ultrajecti,

D.D. HENRICO GESSELIO, Tim. F. Med. ibidem,

D.D. SIMEONI TESSCHEMAKERO, Med. Daventriæ,

D.D. ROLANDO STURMIO, Phil. & Med. Delphis Batavorum,

D.D. PETRO à WOUW, Med. Hagæ-Comitis,

D.D. JOH. BAPT. à LAMZWEERDE, Phil. & Med. Amſtelredami,

Praxin exercentibus, *DOCTORIBUS:*

Fautoribus & Amicis ſuis plurimùm honorandis,

S. P.

Nobi-

Nobilissimi, Clarissimi, Eruditissimi, Experientissimi et Acutissimi Viri,

DUm æſtate præterlapſâ, poſt nunc & nunc fortè natum de FONTIUM & THERMARUM NATURA ac VIRIBUS ſermonem; ſeriò de iis cogitare, eamque ɔccaſionem optare inſtituo, quâ Medicorum ıodiè præſtantiſſimorum judicium, & tanquam ommunis de iiſdem conſilij concurſum conuirerem: Fontis illius BILFELDIANI :ujus laudes ad extima jam Belgij quaquaverım percurriſſe intelligo) innoteſcit detectio. umque caſum tanto ſtudio amplector, ut ıidnam Ratione rectâ, præter Experientiam lgarem, de toto negotio comprobatum daur viris rerum gnaris, & cætera aptiſſimis, ulò inquiram. Atque dum apud hunc illum inveſtigo, ecce maturè prodit doctiſſimi & ›erientiſſimi viri D. CONRADI RE-E KERI, Med. Doctoris, & inclytæ Reilicæ Bilfeldienſis Archiatri & ſenatoris, EVIS hæc DESCRIPTIO. Quam Gericè conſcriptam illicò Latinè reddidi, & nadverſionibus nonnullis auctam, amicohîc ſuaſu prælo deſtinavi; & nunc typis eſſam vobis imprimis mitto, dico dedico-

que. Nullo certè alio animo, quàm ut à vobis omnibus & ſingulis redhoſtimenti nomine reſpondeatur; egoque intelligam, quidnam ſentiendum & ſtatuendum vobis veniat, tum de FONTIUM THERMARUMQUE viribus, & USU MEDICO *in genere*; tum de hujus novelli Fontis viribus & Medico uſu *in ſpecie*. Ratione nimirùm & reſpectu habito eòrum, quæ & ipſe laudatus docet Autor, & ego in iiſdem animadvertenda produxi. In quibus ingenuam, ingenuè uſurpatam, *Libertatem* ut plenè probarem; præmittere volui iſtam Orationem promotorialem, quam ejus vindicandæ ergò, Doctoratus Philoſophici titulo ac prærogativis condecorandus, urbe in patriâ habui. Hæc itaque NOBILISSIMI VIRI, qui ingenui & æqui rerum æſtimatores eſſe ſoletis, eâ accipite mente, & eâ lance trutinâve perpendite, quam ſupponere & innuere me, Amoris, Amicitiæ Veſtræ, qualiſcunque boni privati; ſed publici præſertim, & Veritatis univerſim indefeſſum cultorem arbitramini. Et valete interim omni parte felices, voto perpetim

Veſtri

Dabam Steinfurti,
d. XIV. *Decemb. ſt. v.*
M, DC, LXVI.

NICOLAI HOBOKENI.

NICO-

NICOLAI HOBOKENI,
Ultrajectini,

ORATIO
Promotorialis,

De

Incompatibilitate Servitutis cum Philoſo-phiâ, & Philoſophi veri munere.

Habita publicè, in templi majoris Choro,

Cùm ſolenniter à Viro clariſſimo,

D.M. DANIELE BERKRINGERO,
Phil. D. & *Philoſ. Practicæ atque Eloquentiæ Profeſſ.*

PHILOSOPHIÆ DOCTOR & LIBERALIUM ARTIUM MAGISTER
renunciaretur:

Die Martis, qui $\frac{4}{14}$ Maji, anni M, DC, LVIII,
Urbe in patriâ,

Digitized by Google

NICOLAI HOBOKENI, Ultrajectini,

ORATIO

De

Incompatibilitate Servitutis cum Philoſophiâ, & Philoſophi veri munere.

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, GRAVISSIMI, CONSULTISSIMI, URBIS HUJUS INCLYTÆ ULTRAJECTINÆ DD. CONSULES, SCABINI, SENATORES, AC SECRETARIE; HUJUS PATRIÆ ACADEMIÆ MUNIFICENTISSIMI CURATORES. D. RECTOR MAGNIFICE, PROMOTOR VENERANDE, PROFESSORES CLARISSIMI, MERITISSIMI. CONSANGUINEI, AMICI, INVITATI AMICISSIMI. ECCLESIÆ PASTORES VIGILANTISSIMI, FIDELISSIMI. THEOLOGI, JURISCONSULTI, MEDICI, PHILOSOPHI; DOCTORES, MAGISTRI, LICENTIATI, OMNI ERUDITIONIS ET HONORUM GENERE MAXIME LAUDABILES, COMMENDABILES. DENIQUE TU CUJUSCUNQUE CONDITIONIS ET FACULTATIS STUDIOSA JUVENTUS: ET QUOTQUOT HUNC AD ACTUM CONFLUXISTIS, AUDITORES HUMANISSIMI, AMICISSIMI.

POſtquàm paulò attentus Animæ noſtræ ſtatum præſentem intueor, hoc non è minimis, quæ τῶν πρωτοπλάςων inobedientiam adhucdùm ulciſcuntur, eſſe deprehendo, quòd tanta perverſitas, tanta cœcitas eam vinctam teneat, ut velut in denſiſſimis conſtituta nebulis, inſtar Talpæ ad ſereniſſimam clariſſimamque Veritatis & Rationis ſanæ lucem cœcutiat: imò juſti ac injuſti, recti ac pravi diſcordiam & inſociabilem naturam etiamnùm videns, & aliquatenus capiens, meliora quamvis approbet, làudet, pejora tamen & noxia magis inſêquatur. Manifeſtiſſimum illud eſt in ſapientiæ humanæ ſtudio, quod PHILOSOPHIAM vocant. Conſcia puta mens noſtra ſatis eſt, illàm LIBERTATI ingenuæ nativitatem ſuam acceptam vindicare. Quid? ipſa mens plenis (ſic loquar) buccis, & multiplici laudis præconio libertatem elevat ac decantat. Attamen, ubi ad rem ipſam ventum eſt, mirum quàm facilè ſe affectuum lenocinijs præoccupari ſinat; ut, dum Libertati ſe confinem & aſſociatam antumat, in turpiſſimam, fœdiſſimam, & perniciosiſſimam INGENII SERVITUTEM delapſam experiatur. Dehinc, ut in inſcitiæ naturalis abyſſum altiùs dejecta, dum interioris ſcientiæ, ſapientiæque nucleum ſe jam eſſe opinatur ferè ne exſtimum qui-

dem

dem cum putamine corticem prægustet: vulpi illi Æſopicæ conſimillima, quæ extima vitri ſeriò lambens, pultis dulciſſimum ſuccum ſe ſapere ſibi conatur perſuadere.

Quò itaque, AUDITORES HUMANISSIMI, publica hæc Promotionis ſolennia hinc ſuum capiant complementum & ornamentum; nihil ampliſſimo huic veſtro conſeſſui, nihil inſtituti mei rationi convenientius, nihil cuilibetcunque veſtrum conducibilius argumentum ſeſe offert, quàm quo SERVITUTIS, quæ ingenium multorum adeò miſerè vexat, INCOMPATIBILITATEM CUM PHILOSOPHIÆ STUDIO, inter alia quàm breviſſimè; & abſque omni verborum lenocinio (quippe omnem verbalem pompam ſimplicitate ſuâ excludit, vanaque dulciloquij linimenta ſoliditate ſuâ non patitur), hodiè delineem ita, ut Veritati ſuus honos, Rationi rectæ ſuum decus & dignitas quammaximè ſarta tectaque maneant.

Igitur

------ *procul hinc, procul eſte profani,*

invidi, decoctores famæ, contentioſi, protervi! Adeſto vero, quemquam Sophiæ cura tangit! adeſto, adeſto quiſquis animam mentemve diligit, ejuſque ſtatum exoptat beatiſſimum! Vos, inquam, AUDITORES HUMANISSIMI, adeſte animis, qui corporis

poris mole conſpicui eſtis; & jam me, pro ſolitâ veſtrâ benevolentiâ, humanitate; pro ſolitâ veſtrâ patientiâ, hôc ex ſuggeſto excelſo pauca, ſed utilia; inconcinnè forte, ſed ſincerè; nova fortè & ſingularia, ſed recta ac vera ad vos dicentem auditote.

SERVITUTEM voco illam; *quâ, quiſquis hâc occupatur, occœcatus præjudicijs, in Rationis & Veritatis negotio aliûs placita, inventa, documenta tam preſſè ſequitur, ut ſuſque deque habeat, ſive cum Veritate & Ratione rectâ conveniant, ſive minùs.* Imò quemadmodùm navis ab inſtabili & tumultuoſo Aquilone per fluctum multiplices Mæandros in ſcopulos illiſa, eis adhæreſcit, recedere planè neſcia: haud ſecùs ſervus noſter, per innumeras ſcientiarum & ſpeculationum Philoſophicarum convalles, & montoſa præcipitia, cœcæ obedientiæ, vel potiùs præjudiciorum fuco involutus, ab affectuum tyrannide trajectus, in quoſlibet incidat ſententiarum lapides, eis velut agglutinatur; ita ut in ſolâ authoritate, ſiqua adſit, vindicandâ ſtabiliendâque ſapientiæ (quam *Philoſophiam* eſſe diximus) ſtudium locare videatur. Quinimò quaſi æſtro percitus, in arma & ignem ſe conjicit, ſimulac quid Authoritati ſuæ ſuorumque contrarium quemquam protuliſſe audierit.

Hæc illa peſtis pernicioſiſſima, quæ poſtquam animos hominum invaſit, tot inſulſa Se-

ctarum

ctarum agmina ciêvit. Hinc olim tantæ ac tot lites inter *Pythagoræos*, *Platonicos*, *Socraticos*, *Peripateticos*, *Stoicos*, *Epicuræos*, & quæ

[a] *Cætera de genere hôc (adeò ſunt multa) loquacem*
Delaſſare valent Fabium. -----

a Horat. Serm. l. 1. ſ. 1.

Quid olim? hinc hodiè (quod maximè dolendum eſt) inter noſmet, quorum mentem univerſim meliore lumine præ cæteris tam benigne Deus illuminat, deprehendas tales, quos ſervitutis hæc rabies, vel potius ſtupor, tam miſerè occupat, vexat; ut rebus in Philoſophicis ne latum quidem, ut ajunt, unguem, Ratione ipſâ & Veritate, ſive naturali, ſive revelatâ, & ſenſu invitis, recedant à ſemel viſcoſis velut manibus apprehenſâ ſententiâ: [b] niſi, ut acuminis ſpecimina aliqua, vanâ ſcientiæ perſuaſione inflati, fatuoſè ſatis oſtentent. Hinc Ariſtotelici (vulgò *Peripatetici*) ſuum STAGIRITEN: hinc *Thomiſtæ* ſuum AQUINATEM: hinc *Scotiſtæ* ſuum DUNS-SCOTUM (mitto innumeros greges *Scholaſticorum*, *Nominalium*, *Realiſtarum*, &c.): Hinc *Ramæi* ſuum Patronum, velut *ἀνανταγώνιστον*, RAMUM: hinc noviſſimè *Carteſiani* ſuum RENATUM, vel invitum ſæpè, in ſuas partes, quêis poſſent viribus, trahunt; ita, [c] ut eum pro infallibili ſententiarum Magiſtro & Dictatore perpetuo habentes, novam tyrannidem, non tantùm in ſcholas, ſed in totum

b Ed. Baro, pr. l. de Veritate.

c H. Regius præf. ad expl. ment. hum. p. 5.

„ totum etiam eruditorum ordinem introducere „ magno molimine niti videantur.

Nauſeâ angor, quotieſcunque lego illud MASII[a]: *Ego verò*, inquit, *niſi me authoritas Ariſtotelis & D. Thomæ compelleret, manibus pedibuſque in priorem ſententiam de Intervallo* (Locum vult, de quo quæſtio eſt) *libenter abirem; quam & intellectu faciliorem, paucioribuſque difficultatibus patere, ſi attentè & argumenta ſuperiora, & quæ de naturâ illius diximus, contemplemur, facilè deprehendemus. Verùm* (notate, quotquot ingenuè nati & edocti) *verùm*, inquit, *QUIA INGENII FASCES SUNT SUBMITTENDÆ ARISTOTELI, ET D. THOMÆ; fateamur Locum ſuperficiem eſſe, & non intervallum; QUIA ITA HI GRAVISSIMI PHILOSOPHI CREDIDERUNT*. Et addit: *Quorum certè AUTHORITAS tanta eſt, ut, quamvis NULLÆ FIRMÆ & CONSTANTES RATIONES ad quippiam ſtabiliendum ſeſe offerrent, IPSA SOLA SATIS NOBIS ESSE DEBERET*. Quem certè immemorem fuiſſe oportuit ejus Licentiæ, quam cordatè animadvertit & obſervat nobilis *Helmontius*, [b] dum dicit: *Interim indignor mecum, Lector, quòd vix liceat conceptus meos in Veritate aperire, ſine læſione æſtimationis Authorum prægreſſorum. At priorum me ſeculorum LICENTIA erexit,* quæ

[a] *Maſius l. iv. Phyſ. c. 5. ſ. 1. qu. 3.*

[b] *J. Bapt. van Helmont, Promiſſ. columna III. opp. mihi p. 11. b. n. 9.*

uæ Galenum fecit impunem, imò laudatum, uamvis Eroſtratum, Aſclepiadem, Protagoram, :riſiſtratum, Herophilum, pluréſque anteriores rroris frequenter reos fecerit. Imò & Quintium Præceptorem ſuum carpſerit ſæpius; quem tamen licet Empiricum) in pleriſque ſe ſecutum teſtatur. :tiam inſcium fuiſſe oportuit illius ingenui & beralis animi quem prodit, cordatus & gravis bique, *Seneca* [a] *Philoſophus. Qui alium ſequitur,* 1quit, *nihil invenit; imò nec quærit. Quid ergo? Non ibo,* pergit, *per priorum veſtigia? Ego verò tar viâ veteri: ſed, ſi priorem planioremque inenero, hanc muniam. Qui ante nos iſta moveunt, non Domini noſtri, ſed duces ſunt. Patet mnibus Veritas. nondùm eſt occupata. Multam x illâ etiam futuris relictum eſt.* Nec legiſſe vietur maximi illius artis Medicæ inſtauratoris *Saleni* ea, quæ habet *6. Epid. ſect. 2. Aphor. 17.* bi Magiſtro ſeſè alligantes, eorumque placita ne Rationis examine accipientes acriter perſtringit. *Qui alicujus,* inquit, *ſeipſos vel ſervos, el libertos pronunciârunt, hi, ubi ſcriptum ab pſo aliquid inventum eſt, confeſtim comprobant, um temerè; tum inconſultè.*

[a] Senec. epiſt. 33.

Sed quid miramur hoc? cùm neminem noſtrûm lateat, hoſce ſub Papatûs cœcâ obedientiâ & tenebris plùs quàm Cimmerijs degen:s, vix aliter ſentire aut loqui poſſe, ſaltem on audere palam: niſi hæretici audire, indeue omnis fortunæ, imò vitæ periculum incur-

rere

rere velint. Verùm non poſſum ſatis dolere noſmet ipſos, qui nimirùm puriſſimo & intenſiſſimo Euangelij lumine clementiſſimi & benigniſſimi Numinis beneficio, præ alijs beamur; humani ingenioſi ſervitium ita affectare, ut dicendus ſit [a]

a Poëm. ante notas R. des Cartes, in Programma, &c.

Invidus, huic quiſquis renuit ſubmittere faſces.

Imo, inquiunt,

Naturam violans, Matris adulter erit.
Et fragili dentem quærens illidere, ſoldo
Offendet. Melius, non tetigiſſe fuit.

Et quæ non? quæ vix majora & meliora de ſacrâ Veritate ipſiſſimâ dici poſſunt. O ſtupida mancipia!

---- quæ vos dementia cepit? *

Hæcne anguſtâ illa, illa tot ſolicitudinum cruciatibus exantlandis, tot indefeſſis, ac iteratis etiam atque etiam laboribus deſtinata via eſt, quæ Philoſophum tyronem ducit intrà illum *Democriti puteum*, in quo Veritas preſſa lateat? Siccine miſellus divinæ illius particulæ ſtatus recoletur? Nec fallimini ſane quàm.

Non bene conveniunt, nec in unâ ſede morantur.

Mancipatio illa ingenii, & Veritatis ac ſapientiæ ſincerum ſtudium. Quid? per vos illæ tot ſeculorum inanes & ridiculæ ſpeculationes. Per vos ſtat, quò minùs tot retrò ſeculis inventorum, bene excogitatorum in Scientijs, Prudentiis,

rudentiis, Artibus & Diſciplinis cæteris de-
:ns cultus, aut augmentum notabile appareat.
a, ut quiſquis εὖ διακείμενος τὴν διάνοιαν,
ieritiſſimè dixerit, Sapientiæ vix ſementem
ctam eſſe, cùm metere ejus meſſem jam in-
ics nos oporteat.

Agitedùm, viri boni, quibus tam facile eſt,
rvum pecus effici: & potiùs omnem movere
pidem, vel ſacram Veritatem culpare, quàm
t unqnàm Homerus veſter dormitet, pati:
ındidè ſodes,& ex animo pronunciate libero.
Nonne *SAPIENTIA Veritatis cognitio eſt?*
:ſt, inquies: cùm (teſte divino *Platone* [a]) fa- a *Plat. de Republ. lib.* VI. *init. p.*672.
iliarius Sapientiæ nihil reperiatur, quàm Ve-
itas. VERITAS autem *Intellectûs noſtri*
umeris omnibus abſolutus eſt conſenſus; non cum
ominum excogitatis, opinionibus, aut judi-
iis; ſed *cum ipſiſmet rebus, rerumque naturâ,*
nſtitutione ac modo. Ut *Conſenſus* quidem ille
anc & eatenùs demùm conſtet, quando &
uatenùs res ipſæ tales vel tales, & eo planè
nodo ab intelligente mente, apprehenduntur,
oncipiuntur, quò ſe ſuam ſecundùm naturam,
ſſentiam, conſtitutionem ac conditionem ha-
ent. Verùm id etiamnùm vobis non conſtare
oteſt per aliùs animadverſionem, experien-
iam & judicium; ne quidem omnium ſi ſucce-
lat Philoſophorum ſuffragium: quippe hîc te-
timonii pondus ſolum nihil pollet. Et nihil
ollere, omnes affirmabimus, quotquot falla-

cias, frequenter adeò prolatis Experientiæ alienæ indiciis immixtas, putamus. Et quis certè Philoſophorum is eſt,

Omnia veridico qui quondam ex ore profudit?

Profudit nemo, & profundet nemo unquam. Quarè laudatus *Plato* ª, uti Philoſophum, ita Philoſophiam deſcripturus, eam per *ideam* deſcribit: quaſi indigitare velit, non eſſe eam, quæ vel in ſapientiſſimo homine fuit, aut eſt; ſed qualis indifferente cum reſpectu ad hunc, illum, iſtumve, eſſe debeat.

a *De Republ. l. vi. cit. paſſim.*

Ut alienis oculis videndo, alieno ingenio indagando, examinando, dijudicando, inanem navemus operam, incerti continuò in Veritatis & Rationis viâ ambulemus. Contrà felices demùm ſcientiæ genuinæ candidati futuri, ſiquando *ipſa Sophiæ penetralia adeundo, omnia noſtromet ingenio, noſtris propriiſque oculis liberè, cautè, candidè, placidè & aſſiduè ipſimet perambulemus, perluſtremus, colligamus, recolligamus, dijudicemus.*

Ipſa, inquam, Sophiæ *penetralia adeundo.* Qualis enim perpenſio, quale judicium fieri poterit de re in limine luſtratâ, & ſuperficietenùs duntaxat viſâ, apprehensâ? præſertim, cùm Philoſophum altiùs longè (quò ad excelſum illum Sapientiæ divum perveniat) adſcendere oporteat, quàm vulgus. Hoc quippe pro ſuâ ineptitudine, aut ſocordiâ, acquieſcit, ſi modò

odò corticis Naturæ, & primi ejus involucri
putaminis cognitione donatum ſit: Sophiæ
rò candidatus non placari debet antè, quàm
ſum cum vulpe illâ vitrum diſcutiendo con-
gerit, ipſamque Sophiæ pultem intimè &
nitùs perſpectam habeat.

Dico *liberè*. *Non*, ut quilibetcunque, vel
e tyro Philoſophus, ſuo illicò Marte hoc
at. Quippe, uti impoſſibile eſt ullum arti-
cm per Naturam naſci, eumque ſine præce-
nte inſtitutione, & adminiculis quippiam
ricare: ita nulli autor ſim, ut hæc ſacra So-
iæ tenerè adeat; niſi Cerebrum animumque
præparatum, ſenſus ita compoſitos habeat,
ita προγυμνάσμασι ſit beatus & munitus, ut
n uſu ac laude quid tentare poſſit.

Non etiam volo quorundam eam libertatem,
æ tanto molimine hodiè inculcat *Senſuum*
gam illam *abdicationem*, & ad quælibetcun-
e ſe extendentem *Dubitationem*. Quis enim
idens vaniſſimum non dixerit, jam certò ac
lubitanter acquiſita aliquem rejicere, ut rur-
acquirat? jam exſtructa bene deſtruere, ut
rùm exſtruat? Ne dicam, Dubitationem
tè ſtrictèque, ut hîc oportet, ſumptam, ſi
n peritioribus (queîs quidem non ſine ma-
o diſcrimine obvenit), rudioribus non mo-
haud commendabilem, ſed etiam planè fu-
ndam. Cùm hæc ipſa via ſit, quæ ſtudioſum
mum magis ad otium, & phantaſmata va-

niſſima, quàm Veritatis indaginem ducat.
„ Hinc ipſe (quem ſibi faventem clamant) *Carteſius* veretur, ne hoc ipſum, quod ſuſcepit, tam arduum & difficile ſit, ut valdè paucis expediat imitari. *Nam vel hoc unum,* inquit [a], *ut opiniones omnes, quibus olim fuimus imbuti deponamus, non unicuique eſt tentandum.* Imò quemnam quæſo in finem *Senſus* nobis inſervire apti nati & donati ſunt ab Opifice ſummo & ſapientiſſimo; an non ut tanquam janitores & excubitores, quæcunque juſtè intelligenda, cognoſcenda ac dijudicanda obveniunt, explorent ac menti noſtræ ſuppeditent? Adeò, ut horum certè adminiculo ac teſtimonio rejecto, aut ſepoſito, homini impoſſibile ſit (quidquid oggeſſerint adverſarij de innatis Menti humanæ rerum ideis) ad rerum cognitionem, veritatumque earum dijudicationem perfectam ac deſideratam pervenire: quemadmodùm fuſiùs rectiùſque fortè alibi ſum demonſtraturus.

a *Carteſ. de Methodo, p. mihi* 13.

Verùm illam LIBERTATEM laudo, quâ maturus Philoſophi verè animus Rationi ſanæ ſe omnimodè ſubjiciens (namque Libertas dulciſſima eſt, ſervire Rationi: cùm *Libertas*, ut Ethicorum ſaniores [b] ſtatuunt, notet *modum agendi ex dictamine rectæ Rationis*; ut, quicquid ex impulſu & ſuaſione Rationis agimus, id liberè agere dicamur): quâ, inquam, Philoſophi animus omnia acquirendæ cognitionis, veritatiſque dijudicandæ adminicula adeò conquirit, ut alia,

b *Vide ſ. A. Senguerdiū Coll. Eth. d.* 5. *p.* 30.

alia, Mathematicorum more, ſupponat, alia
: ſuppoſitis eliciat: & ſic omni in argumento
verum nil aſſumat, nil ſtatuat, niſi quod Do-
ına illa tale eſſe clarè & perſpicuè dictitavit.
ec falli tunc eum poſſe, quiſquam dixerit [a]: „
lius enim RATIONIS munus eſt, atque „
ɔnum, quòd rerum æſtimationes pro digni- „
:e metiamur, quòd ſolidum veræ ſapientiæ „
ıctum percipiamus, quòd omnigenam qua- „
mcunque rerum cognitionem hauriamus. „
uæ verbo complectitur magnus *Auguſtinus* [b],
ım inquit: *Quicquid intelligimus, Rationi de-
mus.*

a Phocyl. ab Holward. orat. de rat. hum. p.409.

b Aug. de util. cred. c.11.

Et quidem preſsè adeò oportet Dominæ
ius veſtigia Philoſophum noſtrum inſequi, ut
nnem humanam, vel Doctoris maximè ſub-
is, Angelici, illuminati, Cherubici, ſapien-
ſimi authoritatem vel conreginæ, ne dicam
lverſariæ nomine explodat: curamque ejus
ıllam habeat, niſi quando teſtimonia teſtimo-
is, Ratione & Veritate ipsâ præeunte, pen-
:ulanda ſunt. *Ego Præceptores ſummo honore
ſiciendos eſſe ſentio* (inquit [c] ille): *cæterum
ıemlibet philoſophari etiam contra eorum do-
nata, non ſolùm non improbandum, ſed lau-
ındum; nec modò non negligendum, ſed optan-
ım.* Quare, rogabis? *Neque enim* (addit) *ali-
r in dies magis magiſque Veritas eluceſcit.* Stre-
ıè, ſi ulla, & philoſophicè verè dicta!

c Paul. Zacchiæ Med. Rom. præf. alt. ad Quaſt. Med. legal.

Ut autem juſta cunctorum diſcriminatio,

juſtus delectus fieri poſſit; duco & *cautum* te, Philoſophiæ candidatum, eſſe debere. Maximè, ne ſenſuum, nominatim externorum fucato judicio prædominante, patiare judicium Mentis obfuſcari. In quo valdequàm facile eſt à recto nos tramite deviare: quippe quaſi inetſcati & adſuefacti per infantiam & pueritiam illi ſimplici ſenſuali perceptioni ſumus, ut vel inviti ſine moderamine,& ſufficiente examine, comite aut antecedente, illicò ſæpè ſequi eam
» conemur, imò ſequamur. Huc facit illud
» *Locmanni* [a], qui interrogatus: undè *Sa-*
» *pientiam* didiciſſet? reſpondit: *A Cœcis, qui,*
» *niſi ſolum tactu exploraverint, pedem non po-*
» *nunt.*

[a] *Saad. Roſar. Polit. Perſ. p. 35. init.*

Adhæc *candidè* neceſſum eſt ut agas, quiſquis Philoſophari bene velis. Ut æquus ubiquè rerum æſtimator, nullum habeas reſpectum, tum aliorum, tam tui ipſius: ut vel tuam net ſententiam, licet antiquiſſimam, ſiquando vacillantem, & cum Rationis dictamine recto minùs convenientem deprehenderis, hilariter & ſerenâ fronte ac mente abjudices, deponas.
» Quippe (ut verè etiam ille) antiquior ſanctior-
» que ipſis amicis, imò vel ipſo parente, nobis
» debet eſſe *Veritas*: ac Philoſophi eſt, ut ejus
» tuendæ causâ, vel propria (nedùm aliena) evertat dogmata. Hinc magnus ille [b] *Scaliger* filium ſuum Sylvium Cæſarem hâc cautelâ inſtruit: *In rerum*, inquit, *cauſis diſpiciendis, ita tibi faciendum*

[b] *Epilog. J. C. Scalig. ad libb. de cauſſ. L. Lat.*

ndum eſt, ut noſtra quoque tanquam vel pere-ini, vel etiam hoſtis legas. Et *Billichius*: [a] *In-ti quidem*, inquit, *in corpore formoſiſſimo ver-cam notamus, aut nævulum: ſalvâ tamen ve-ate non poſſumus aliter.* Vel ipsâ, inquam, ilitate, aut emolumento in adverſum invitan-, nihilominus etiam ſincerè inveſtiges So-iæ myſteria; candideque adeò de iis loqua-:, eaque dijudices, ut nihil laudes, quod non idandum; nihilque culpes damneſve, quod on culpandum damnandumve Ratio ipſa ju-cat. Ne unquàm deprehendaris ex iis eſſe, ii in id potiſſimùm incumbunt, ne illos domi alè multet inopia; adeoque ut, non tam quid ſe verum, quàm quid ſibi utile, exquirant, t tunc demùm *Veritatem* (ut laudabile ada-um ſonat) *ſine dote quæres.*

[a] *A. Gunth. Billich. Anat. Plat. ſerm. f. 21, p. 257.*

Nec ſufficit, ſi non & *placidum* in his cun-is habeas, ac tranquillum animum. Ut hîc opuli nonnulli ſeriò tibi declinandi ſint: ne ita *Moroſitas* te impediat, quò minùs rectè iorum dogmata & inventa ad incudem Ra-onis voces. Placidâ enim & moderatâ quâ-im collatione, velut atterendo, eniteſcit Ve-tas: ſed ἐν ἀψιμαχίαις ἡ ἀκρίβεια ὀλισθάνει, *miùm altercando Veritas amittitur*, ut habet *ublius in Mimijambis.* Itemque, ubi paucula, nò plurima, ita perſpexeris, ut rectè nove-s; affectibus injunctâ habenâ, animum ita hibeas, ne unquam *Faſtu* extumeſcat; me-

[a] In Miſchar hapeninim. mor illius Sapientis Judæorum [a] : אָדָם חָכָם בְּעוֹדֶנּוּ מְבַקֵּשׁ הַחָכְמָה וְכַאֲשֶׁר יַחְשׁוֹב שֶׁהִגִּיעַ עַד תַּכְלִיתָהּ הוּא סָכָל : Id eſt: *Homo ſapiens eſt, quamdiu quærit Sapientiam : cùm autem putat, ſe ad finem ejus perveniſſe, ſtultus eſt.* Ne vel minima & vulgaria addiſcere renuas, cùm propter certum cognitionis humanæ ordinem, & Doctrinæ ſeriem, ſine iis bene perſpectis quicquam ſolidi aggredi poſtmodùm, & intimè reliqua introſpicere ut plurimùm nequeas. Itemque, pro Modeſtiâ in Philoſopho vero à *Platone* [b] requiſitâ, vel à minimo admoneri te lubentem patiâre. Quippe in abjectiſſimum quandoque vas reponit pretioſiſſimum & inæſtimabilem theſaurum ſummus & ſapientiſſimus: atque juveni non rarò manifeſtum vult & dat, quod ſenem latêre ſinit. Miſerè adeò hoc

[b] Loc. cit. p. 673.

----- tenet inſanabile multos

Cacoëthes, ut ſuo omnia judicio arroganter non ſolùm metiantur, ſed & quicquid ad ſuum palatum non facit, illicò, imò antè, quàm audiverint, viderint, preſſo ſupercilio, moroſoque vultu poſt terga rejiciant, damnent. Quos idcircò haud inſulſè *Soliipſos* appellare licet. Et, quod intolerabile eſt, ſemet duntaxat eos eſſe ebuccinant, omnibuſque inculcare allaborant, à quibus demùm Sapientia vera ſuum decus genuinum & integritatem ſperet, & expectare neceſſum habeat. Miſelli! Tu autem, noſter Sophiæ candidate placidè ad illud attende:

Quiſquis

Quiſquis plus juſto non ſapit, ille ſapit.

Tandem etiam *aſiduum* te volo. Quippe [a] oportet *hominem ſcientiæ cupidum ita naturâ inſtitutum eſſe, ut ad id quod verè eſt, ſemper contendat; neque moras trahat in his ſingulis ac plurimis, circa quæ verſatur. opinio: ſed ultrò progrediens non antè fatigatur, & expetere deſinat, quàm propriam cujuſque naturam eâ animi vi attigerit, quâ id apprehendere convenit.* Et ex veteri veriloquio conſtat; **δύσκαλα** [b] **εἶναι τὰ καλά.** Ut nonniſi ſedulâ curâ, laboribuſque multiplicibus; induſtriâ, inquam, ac exercitatione proclivi, continuâ eò perveniatur, de quo elegantiſſimè quiſquis [c] Veterum: *Suave eſt,* inquit, *in littore ſtanti videre naves fluctibus exagitatas: ſuave ad arcis feneſtram ſtanti, prælium commiſſum, ejuſque varios eventus, inferiùs ſpectare: ſed nulla voluptas æquiparari poteſt huic ipſi, nempe ut quis ſtet ſuper clivum excelſum Veritatis* (collem certè inacceſſibilem, ubi aër ſemper liquidus eſt, & ſerenus); *atque indè errores homines palantes, caligines & tempeſtates in convalle ſubjacente, deſpiciat.*

[a] *Plato, l. c. p. 675.*

[b] *Difficilia eſſe, quæ pulchra.*

[c] *Videſ. Bacon. de Verul. ſerm. fid. p. 7. 8.*

Dico, ita ſi ſis affectus, hôcque pacto inſtitutus inſcientiæ ſapientiæque ſemitâ incedas; dubitationis omnem fugit aleam, te non ſolùm ad intima, & maximè latentia Veritatis philoſophicæ arcana pertacturum, eademque perfectè conſecuturum: [d] ſed etiam illicò tibimet conſtiturum, quàm multa inibi deperdita

[d] *Videſ. Platon. l. c. p. 673.*

dita intercideriat, quàm multa redundantia & inutilia reſecanda, & quantus nominatim defectus ſupplendus reſtet? Imò, à te tuâque parte eſt, quòd maximum Veritati lumen addendo, innumera ad humanæ ſocietatis vinculum emolumenta redundare velim, etiam redundatura ominer. Et falli me minimè judicabit, cuicui Veritatis ſol atram caliginem ab animi oculis deterſit & amovit.

Et ceditedùm, boni viri, qui Antiquitati „ tantum tribuitis, vindicatis: [a] nonne reverâ „ conſentaneum eſt, ut, quemadmodùm majo- „ rem rerum humanarum notitiam, & maturius „ judicium à ſene expetimus, quàm à juvene; „ ob experientiam, ac eorum, quæ vidit, & au- „ divit, & cogitavit, multitudinem: eodem etiam „ modo à noſtrâ ætate majora, quàm ab antece- „ dentibus ſeculis ſperemus? Quippe quò mundi „ ætas magis in anteriora declinat, eò grandeſcit „ magis, experimentiſque, & inventis augetur. „ Imò, nonne turpe eſt homini *μικρογνώσμῳ*, „ globi *materialis* limites regionibus, oceanis, „ ſtellis aliiſque noviter adinventis & patefactis „ prolongari: *Intellectualis* autem globi, qui tot, „ imò innumeris paraſangis alterum antecellit, „ fines intra anguſtos illos inventorum, exco- „ gitatorum ab Antiquis, concluſos à nobis ad- „ hucdùm contineri? Quî itaque hæc cum ſervo veſtro, & occæcato ingenio conſentient?

a Vide ſ. Fr. Bac. de Verul. cogit. & viſſ. p. 46. 47.

Nec,

Nec, per jammodò diducta, prætendere licet *Obſervantiam Majorum* [a]: cùm & ipſis „ complacuerit, de magnis magnorum Autorum „ ſcriptis æſtimationem inſtituere; idque multò „ literis conducibilius eſſe, quàm authoritate ſolâ „ acquieſcere, & fide ſemper alienâ accipere „ omnia. Maximè, cùm id teſtimonio Apoſtoli Gentium confirmetur: πάντα, [b] inquit, δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε. Ut noſtrimet conatus cum cultu & obſervantiâ Præceptoris & informatoris, convenire optimè, & ambulare amiciſſimè queant. Quid? clariſſimè elucet ex cœcâ illâ veſtrâ obedientiâ puſillanimitas, vel potiùs deſidioſa ſocordia.

a *Lud. Vives, de Diſciplin. in Præfat.*

b *D. Paul. ad Theſſ. 1. c.v. v.21.* Id eſt, *omnia probate, quod bonum rectumq; eſt, retinete.*

Nec *Infirmitas* prætenſa vos excuſatos faciet. Quippe adnitendum [c] ſedulò, & pergendum eſt: ac laudabile ſic indies auctarium, næ amorem ſaltem, & ſcientiæ ulterioris indagandæ deſiderium, intùs creſcere facillimè quivis perſentiſcet. Quod vel ipſis Judæorũ Rabbinis conſtat, cùm cavent [d]: אִם יֹאמַר לְךָ אָדָם יָגַעְתִּי וְלֹא מָצָאתִי אַל תַּאֲמִין: *Si dicat tibi homo quiſquam; laboravi, & non inveni: ne credas.* Quaſi dicant: impoſſibile eſt, ſtrenuè laborantem, & diligenter ac aſſiduè quærentem nihil adipiſci. Ut, quemadmodùm [e]

----- nil ſine magno
Vita labore dedit mortalibus,

nihilque [f] citra induſtriam pulchrum conſiſtit: „ ſic etiam viciſſim multarum rerum contempla- „ tione, „

c *Pindar. Nemeor. od. 1.*

d *Megilla, fol. 6. col. 2.*

e *Horat. ſerm. l. 1. ſat. 9. fin.*

f *Sophocles in Electr. v. 950.*

,, tione, addiſcere quilibet poſſit, [a] quantum
,, efficacitatis, atque ad perficiendas res virium
,, habeant Induſtria atque Labor. Et ſanè quiſ-
quis, [b] licet particulare quoppiam inventum
,, magnæ utilitatis non eruat & edat, modò in
,, Naturâ lumen accendat, quod ortu ipſo mar-
,, gines & extima inventorum illuſtret; dein pau-
,, lò poſt elevatum abſtruſiſſima quæque patefa-
,, ciat, & in conſpectum dęt; is non immeritò
,, humani in univerſum imperii (quippe tantum
,, quis poteſt, quantum ſcit) propagator, liber-
,, tatis vindex neceſſitatum expugnator eſt vo-
,, candus. Nec ullum aliud refugium expectabi-
tis, ſaltem invenietis, ab *inventis* jam multis
hôc ſeculo. Scio,

Sumpſerunt artes hâc tempeſtate decorem,
Nullaq; non melior, quàm priùs ipſa fuit,

reddita eſt. Hinc novis indies auctariis ornari, & quibus antè ſcatebat, imperfectionibus liberari, ac repurgari videmus vel ipſam ſummam Facultatum *Theologiam*. Hinc ipſa continuò ampliatur ac perficitur *Juriſprudentia.* Et quantum non ſplendoris accedit artium nobiliſſimæ, *Medicinæ*, per Phyſiologiæ reſtaurationem, ac ad ipſa indies ſumma tendentem perfectionem. Ne dicam *Anatomicam*, *Chirurgicam, Pharmaceuticam*, & *Chymicam* ipſam egregijs locupletationibus adeò promotam, ut perfectiſſimam eam cum cæteris ſubſequens viſura ſit ætas. Ne dicam eas omnes tum Artes,

tum

[a] *Plutarchus de liber. educandis, opp. T. 2. p. mihi 2. D.*

[b] *Fr. Bacon. de Verul. Philoſoph. p. 480. Cogit. p. 43.*

um Scientias E'γκυκλοπαιδείας circulo communitur circumſcriptas : *Grammatiſticen*, *Grammaticam*, *Poëticam*, *Rhetoricam*, *Oratoriam*, *Hiſtoricam*, *Logicam* : item *Metaphyſicam*, *Pneumatologicam*, *Phyſiologicam*, *Mathematicam* : itemque *Ethicam*, *Oeconomicam & Politicam*. Quas omnes quiſquis hodiè novit, agnoſcit eas multis perfectionis paraſangis veteribus cognitas ſuperare. Sed quid hæc ad ea, quæſo, quorum cognitio etiamnùm exoptatur? Nemō non, ſimulac ea attentè conſiderat, extemplò in hanc inclinat querimoniam: *Quantùm eſt, quod neſcimus!* Et quàm ſanâ cum ratione, docet Naturæ contemplatio : quippe quæ ſacra ſua non ſimul offert & communicat. ” Initiatos nos credimus (inquit ſuprà laudatus ” *Seneca* [a]), in veſtibulo ejus hæremus: non pro- ” miſcuè arcana illa, nec omnibus patent; redu- ” cta quippe, & in intimo recluſa ſunt, ex qui- ” bus aliud hæc ætas, aliud quæ poſt nos ſubibit, ” adſpiciet. ”

[a] *Senec. nat. quæſt. l. 7. c. 31.*

Judicate igitur, AUDITORES HUMANISSIMI; judicate ſodes, num antipathia eſſe inter ulla poſſit major, quàm quæ eſt inter pernicioſiſſimam hanc *ſervitutem* ingenij, & liberalem ac ingenuum cultum *Philoſophiæ*. Næ, nullus dubito quin animadvertentes, quæ ſuprà in medium duxi, non χειροτονίᾳ ſolùm, ſed pedibus etiam ingenuè in meam iveritis ſententiam. Illa etenim men-

tem

tem, quâ ſolâ cæteris animantibus anteſtat homo, in ſuo ſtatu, utpotè miſeram, tenebris obnubilatam, relinquit: hæc è contrà divinam illam particulam dejectam elevat, obnubilatam nebulis undique diſcuſſis; quammaximè illuminatam dat; priſtinoque Rationis nitori & dignitati reſtituere omni ope, atque continuò conatur. Quæ haud obſcurè Judæi saniores indigitant cùm Sophiæ myſtas & vulgus occœcatum ſibi mutuò opponendo, ſic prædicant : תלמידי חכמים כל עוד שמזקינים חכמה נתוספת בהם / ועמי הארץ כל זמן שמזקינים טפשות נתוספת בהם : *Diſcipuli ſapientum., quò magis ſeneſcunt, tantò magis ſapientia augetur in ipſis : populi terræ, quò magis ſeneſcunt, eò magis ſtultitia creſcit in eis.* Servitus item (uti vel vulgo notum eſt) ciet quamplurima diſcordiæ, litium, contumeliæ ſemina. Quis enim placidè, tranquillè ac alacriter onerosam ingenuæ menti ſervit ſervitutem? Philoſophia verò placatum & amicum, ſincerum & humilem reddit animum; fluctuſque affectuum, æſtûſque vehementiam ſiquâ fortè oriatur, adeò mitigat, ut ſedet facilè & componat.

Quid itaque? omnimodè, inquam, caveamus ne unquàm animum philautiâ & ſtultâ opinione amoris ſui emancipemus, vel ſtupido illo jam delineato ſervitio ligemus, ingeniumque acuendum quammaximè, obtundamus.

Sed

Sed haud ſecùs ac fullo ululam illam è noſtris ditionibus expellamus ſervitutem: hoc unicè intendentes, ut ſupra vulgus elati, mentem ad multiplicis differentiæ, in ſcientiæ Sapientiæque pomœrijs obſervandas ac cognoſcendas, ſubtilitates fixam & intentam adeò habeamus; ut incognita indagandi deſiderium, & dubia ſupponendi patientiam; & lecta, viſa, audita meditandi voluptatem; & hæc illave, licet clara ſæpè videantur, affirmandi aut negandi tarditatem; & ſi quâ erratum in re fuerit, reſipiſcendi facilitatem, & quælibet rectè diſponendi ſolicitudinem teneamus. Et verbo, animum à novaturientium temerarijs ſæpè conatibus, & antiquariorum ſuperſtitioſâ tenacitate ac proterviâ alieniſſimum ita cuſtodiamus, ut Antiquitati, Majori, Parenti, Anteceſſori, Præceptori, amico & nobiſmet ſuum cujuſque jus, ſuam quoque dignitatem & gratiam, Rationi autem rectæ & Veritati convenienter, alacres prudenteſque concedamus. Et quæ tunc non ſubſecutura dies à nobis expectabit? Expectabit *Eccleſia* ſuos vigiles Paſtoreſque digniſſimos, *Reſpublica* ſuos patronos, Themidis ſacerdotes conſultiſſimos; Medicos & valetudinis quorum libet corporalis conſervatores ac vindices optatiſſimos; *Academia* ſuos Anteceſſores Doctoreſque aptiſſimos, meritiſſimos. Deniq; *communis hominum ſocietas* ſuas artes, ſuas Diſciplinas, ſuum

uſum

uſum & experientiam; adminicula omnia, quæ publicæ ſalutis communioniſque deſideratæ ligamenta & vincula ſint firmiſſima, habitura eſt.

Aſt quid hæc faceſſo Scientiæ & Sapientiæ fons ac largitor, D E U S, ſi non tuam reſpicio gratiam, tuum requiſitum auxilium? Demitte, imò infunde itaque Spiritûs de tui ſancti lumine lumen in mentem noſtram; quò ea, quæ nobis, dum in hâc calamitatum, & miſeriæ inexplicabilis valle degimus, Sapientiæ rudimenta patefacere tibi placuit, intimè pertingamus, intelligamus. Cedo requiſita omnia, quorum ope cuncta bene percepta, vel noſtrometipſo (ſi ratum ſit) poſtpoſito commodo proximi emolumento applicemus.

Et tu quidem, JESU noſter dulciſſime, עִם אֲנוּ אֵל : inſta apud Patrem! & fac quæſo, ut ſtudia noſtra, conatus noſtri omnes tendant in Eccleſiæ tuæ ædificationem, Verbique tui & Veritatis propagationem, Reipublicæ fulcimentum, Academiæ, præſertim hujus Patriæ, & Scholarum felicem inſtaurationem, conſervationem; animæ noſtræ ſalutem, & (quæ omnium horum ſumma eſt) ad tui Nominis divini ſanctiſſimi ſempiternam Gloriam.

DIXI.

HEXA-

HEXAMETRUM,
Ad

Virum Cl. atque experientiſsimum

D. CONRADUM REDEKERUM,
Med. D. & inclytæ Reipubl. Bilfeldienſis Senatorem digniſſimum,

Fontis ſaluberrimi Bilfeldiani recens detecti,
Σκιαγραφίαν *edentem.*

ARs ſimul & Natura tulit non pauca ſtupenda,
Atque oculis ſpectanda avidis miracula mundi.
Barbara Pyramides ſtupuit Memphitica tellus;
Miratuſque orbis Babylonis mœnia claræ,
Nec Triviæ templum præluſtre explere ſtuporem
Spectantis potuit; nec Caria Mauſoleum
Eſt mirata ſatis, Rhodus & præclara coloſſum.
Si maris aſpicias tot monſtra natantia vaſti,
Mirandumque æſtum ſpectes fluxumque refluxumque,
Horum conſpectu meritò conterritus hæres.
Sed quis nòn miras vires miretur Aquarum?
Nî Sulmonenſis fuerint figmenta Poëtæ,
Clitorio quicunque ſitim de fonte levârit,
Vina fugit, gaudetque meris abſtemius undis.
Hinc fluit effectu diſpar Lynceſtrius amnis,
Quem quicunq; parũ moderato gutture traxit,

Haud aliter titubat,quàm ſi mera Vina bibiſſet;
Æthiopaſque,lacus quòd ſi quis faucibus hauſit,
Aut furit,aut patitur mirum gravitate ſoporem.
Quid memoro antiqua hæc? ſcatebras, quas protulit ætas
Hæc noſtra, & Thermas quòd ſi memorare laborem,
Aureus ipſe prius condens ſua lumina Titan,
Abluet Heſperio fumantes gurgite currus.
Has inter meritò numerat BILFELDIA vivi
Fontis aquas, diæ rariſſima munera dextræ;
Fontis aquas, quas nec vincunt medicamina Ponti,
Quicquid & AſclepI proles indagine mentis
Repperit,ut poſſit vim morbi elidere,& ægros
Faucibus eripiat mortis. Morbis fons iſte medetur,
Quos non Hippocrates,medicâ quos arte Machaon
Nullâ ſanârit. Tibi, BRANDENBURGICA tellus,
Gratulor ex animo de raro hôc munere terræ.
O te felicem! quæ ſicut alumna tuliſti
Divinum MEINDERS, Electoralis ut eſſet
Scævola conſilians, ſic hôc tam fonte ſalubri.
Jam frueris. Manet fluxu uſque perenni
Fons tuus, & felix ELECTORALE Gubernum.

M. T. R.

CONRADI REDEKERI,
Med. D. & Reip. Bilfeldienſis Senatoris & Archiatri,

PRÆFATIO,
Ad
LECTOREM BENEVOLUM.

INventioni artis Typographicæ acceptum referendum venit, quòd multi calamo ſeriò arrepto, hæc aliaque nova luci publicæ dare cogitent. Gravem autem hîc obtinere abuſum (quoniam ſcribendi, & qualibetcunque edendi finis datur nullus), plus quàm notiſſimum nunc eſt. Adeò ut omnia jam edita conquirere ſibi, ac comparata perlegere impoſſibile ſit. Hocq; inter emunctioris naris viros quotquot obſervant, cùm ipſis de admirandis Cognitionis humanæ myſteriis variorum Eruditorum *jammodò edita ſcripta ſuppetant, iiſque ex voto utantur fruanturque, hodiernum ſcripturientium Zelum non ſine admiratione animadvertunt.*

Verùm enim verò, quamvis ego à poſteriorum ſtem parte; dùm certè, ex Profeſſionis meæ jure, adeò frequenter nunc quæſitus & laudatus fons noſter BILFELDIANUS *anſam præbet, & me quaſi invitat ad nonnullam, tam abſentibus, quàm præſentibus, circa ejus* NATURAM & USUM, *manuductionem ſuppeditandam; & ea*

convenientiùs ſuppeditari nequit, quàm publicis typis: in bonam velim partem capiat benevolus LECTOR, *quòd meas quales quales cogitationes, & animadverſoria conſilia proponam. Fortè adminiculo erunt, ad deſideratam ſanitatem, aut alicujus morbi ſeu affectûs præternaturalis curationem averſionemque faciliùs perveniendi.*

DESCRIPTIONIS IPSIUSMET FONTIS,

ARTICULUS I.

Fontis hujus detectio, & detectionis tempus, locus, autor & occaſio, ut & celebritatis incrementum breviter referuntur. Ejuſque aquæ à variis facta Chymica probatio oſtenditur, & quænam ſimplicia eruta fuerint, explicatur. Et DD. Archiatrorum Brandenburgicorum judicium petitur.

§ I. ET quod ad rem tradendam attinet, quæcunque hujus loci verè non ſunt, prætermittendi, aut ſicco pede tranſeundi; adeoque acceptiſſimo compendio & brevitati ſtudendi animus conſtat.

§ 2. Initio *Julÿ*, anni M, D C, L X V I. præcalido & ſudo hoc cœlo, quo omnes ferè circumquaque obſervabiles Fontes & fluvij exſiccceſcunt; haud procul ab hâc urbe BILFELDIENSI, extra Portam inferiorem,

præter



99.

DI. detecti.

præter propter eam diſtantiam, quam ſclopetum iteratò exploſum dimetitur, juxta pratum amœnum, in agro paſcuo communi civium uſui dicato, cui nomen vulgo notum, der Kötte[l]brinck / ubi datur fundum arenam * Margâ mixtam referens; antehàc quidem leniter proluens, ſed (quoniam ei ſimiles hîc atque illic per Comitatûs *Ravenſpergenſis* partem maximam, inveniuntur ſcaturientes) nemini curatus; Fons obſervatur, ſe conſtante ſcaturigine manifeſtum continuò faciens. Qui, uno atque altero primitùs, & deinceps pluribus hôc illove affectu per ejus limpham relevatis, brevi inclaruit adeò, ut vel ad omnium vicinæ regionis incolarum aures fama ejuſdem tranſvolârit: undequaque, tam magnatibus, nobilibus, quàm ignobilibus; tam divitibus, quàm pauperibus; tam junioribus, quàm ſenioribus quaſi confluentibus, & limphæ ejuſdem participes fieri percupientibus: eamque tum internis, tum externis affectibus curandis habilem probantibus.

* *Verba authentica Authoris ſunt:* ein Mergel-haffter Grund.

§ 3. Et quantum ex alijs expiſcari ac recognoſcere valeo, vel præteritis jam annis à nonnullis propter guſtum, & *ſapiditatis gratiam* expetita Fontis hujuſce aqua fuit, & bibita.

§ 4. Quâ de causâ etiam *Æger* N°. 1. ** eandem iſto nomine fortè laudatam, ſibi familiarem adeò fecit, ut præter opinionem pri-

** *Videſis Exemplorũ annexam ſeriem.*

ſtinæ reſtitutus fuerit bonæ valetudini. Uti poſtmodùm quoque *Æger* N°. 11. eâdem ſanatus eſt:& ſic porrò apud ſanos æque ac malè affectos,ſine periculo, imò ſummâ cum utilitate ejuſdem frequentiſſimus obtinuit uſus.

§ 5. Hæcque res latiùs latiùſque diſperſa, & omnigenorum notabilium præternaturalium affectuum (quemadmodùm in annexâ ſanatorum hiſtoricâ ſerie animadvertendum datur),eâ deinceps levatorum ac ſublatorum,obſervatione firmata; ad Clivicam quoque aulam perlata,& cum humillimâ obſervantiâ Sereniſſ. D. Principi Electori *BRANDENBURGICO*, Domino noſtro clementiſſimo,relata fuit. Cui idcircò clementiſſimè placuit hujus urbis Senatui injungere curam relationis hebdomadalis, quò innoteſceret, *qui & quotnam* aquâ hâc fontanâ curati ſanative forent?ſimùl hùc tranſcurrere juſſo ſuo rei Chymicæ præfecto * laboratorio.

* *Videſis* ſeinen Laboranten.

§ 6. Quemadmodùm & hîc inſignem hujuſce *Aquæ copiam ac quantitatem*, partim ipſemet, partim per alios decoxit, ac decoctam probavit: inque remanentia *Mineralia* curioſè inquiſivit. Totiuſque illius Inquiſitionis probationiſque non dubito, quin juſtè ac debitè certiores fecerit ſummè memoratæ Serenitatis Electoralis *Archiatros*. Ut hactenùs ſcire percupiam, quidnam DD. illi Doctores, nominatim MARTINUS WEISSIUS,

SIUS, & CHRISTOPHORUS MENTZELIUS, Domini mei plurimùm honorandi, & ſummè faventes amici, judicaturi ſint.

§ 7. Et, ſi mihi fas eſſet, quæ opinor deponere: dicerem mihi proprietatis illius in Aquâ hâc obſervabilis, *ſpirituoſæ* (undè præcipua operandi facultas deducenda & expectanda venit), inveſtigationem difficilem valdè videri.

§ 8. Quod autem attinet ad *Cantharos illos tres Aquæ*, in cucurbitâ vitreâ decoctioni datos, ex quibus poſt evaporationem præter propter *Semi-drachmam albicantis Pulveris* in fundo derelictam remanere, obſervatum eſt: arbitror ego, quòd miſcellâ in iſtâ *Sal nitroſus* prædominium, & præcipuas teneat partes.

ARTICULUS II.

Fontanæ hujus aquæ Qualitates variæ recenſentur: uſuſque ejus diverſimodè probatus oſtenditur. Nominatim hujuſce Fontis ſingulariter redundans ſcaturigo animadvertitur.

§ I. QUantum verò ad ipſum FONTEM: *Aqua* ejus *clarà* ac *pellucida* eſt. *Saporis* minimè ingrati. Quemadmodùm id hoſpites omnes, & qualiſcunque alii, vel ſummâ, quam præ ſe ferunt, appetitione teſtantur. Ut à multis ſanè eorundem ad *duos*, imò *duos*

Cantharos cum ſemiſſe unius antemeridiani temporis intervallo bibatur. Idque cum multorum dierum continuatione.

§ 2. Pauperculi (quod in miſellis illis annotandum) jurulentum illum Cibum, [a] ex diſſecto pane, aquâ illâ, unà cum ratâ butyri portione, madefacto & elixato conficiunt: atque aſſerere audent, & jucundè valdè ſapere, & ſibi prodeſſe. Adeò ut Coctoribus Cerviſiariis querela naſcatur, de Cerviſiâ ſuâ, præſertim tenuiore, ſolitò minùs quæſitâ. Uti imminutum ejus deſiderium experiri neceſſe eſt, cùm integræ familiæ ſuo ſine nocumento aquam hanc fontanam uſurpent.

[a] *Quem videlicet vulgò* ein Suppe *nominant Germani.*

§ 3. Etiam Fontana hæc aqua ad vicina loca quaquaverſùm tranſvehitur, & apportatur. Ibidemque & in *internum*, & in *externum uſum* vertitur. Tantâ certè *copiâ*, ut, quamvis Dolia duo juxta ſe invicem terræ impoſita habeantur, & ex iis quotidiè à viris duobus, Aquæ quantum Cantharus major capit, indeſinenter expromatur; confluentis tamen ac urgentis cœtûs deſiderio ſępè fieri ſatis nequeat. Illique per totum diem expromendæ huic aquæ ibidem loci bibentibus, & vaſis poculiſque uniuſcujuſque adimplendis laborare ſolent adeò, ut tempus deficere videatur.

§ 4. Et non paucos etiam atque etiam mirari audio, & hæſitare circa Aquæ *uberem* illum *proventum*, ac ad continuum & indeſinentem,

ex

ex claro & albicante adeò, arenâ ut dixi, margâ mixtâ gaudente, fundo, factum hauſtum, *confeſtim*, & ferè inſenſibiliter undenam, *prodeuntem*, hùc loci *apparatum*.

§ 5. *Sapor* ejus aliarum aquarum guſtui conſimillimus eſt: niſi quòd hic gratiam aliquam illis majorem referre videatur. Et, ut aliqui volunt, ad guſtationis finem aliquantilla animadvertenda datur *Dulcedo*.

§ 6. Et nonnullis placet ſententia, ex multis aliis aquis hanc ratione notabilis adeò *claritatis* ac *pelluciditatis*, & obſervabilis alicujus *pinguedinis*, internoſci ac dignoſci poſſe.

§ 7. *Frigus* ejus *actuale* tantum non eſt, ut indè, ſi vel ſuprà modum, liberaliùſve aſſumatur, incommodum ullum, aut intemperies aliqua *Ventriculi* frigida metuenda veniat.

ARTICULUS III.

Ordo ac ictus eccleſiaſticus Aquæ hujus uſui deſtinatus, & obſervatus laudabilis narratur.

§ 1. DUmque concurrentium undecunque hominum frequentia incrementum capit maximum, benevolo ac pio conſilio nobiliſſimi ac ſtrenuiſſimi Domini, D. WOLFFARDI ERNESTI *de Ellern, de* Lobach & Büſchſtadt / &c. ſereniſſ. D. Princip. elect. Brandenburgici ſummè memorati, Majoris generalis, Cubicularij Primarij, &

Præfecti Legionis equitum; item Satrapæ Præfecturæ, & Gubernatoris munimenti *Sparenbergenſis*; ab hujus urbis Magiſtratu decretum & inſtitutum eſt, ut ſummo mane *Preces* ibidem ad omnipotentem Deum fierent, huic negotio accommodæ. Quæ etiam magnâ cum frequentiâ quotidiè fiunt; iiſque præmiſſo & ſubjuncto *Pſalmo* benignus Deus decenter laudari aſſolet.

ARTICULUS IV.

Perverſa hominum de aquâ hâc, ut & de aliis remediis obſervata, opinio culpatur; veruſque Medelæ univerſim, & hujus aquæ particulatim ſumptæ, uſus & utilitas oſtenduntur.

§ 1. IN cæteris hùc etiam advenêre *Cacodæmone obſeſſi*, ſuæ hinc expectandæ ſanationis, & à miſeriâ illâ ſummâ liberationis ſpe freti. Verùm huic certè affectui ſanando longè impares exiſtunt hujus aquæ vires. Ut, nî Deus ſingulari curet gratiâ, nulla iis ſuppetat ſalus; & eo volente, indubitanter ſanabuntur.

§ 2. Præter hos etiam vidi *Phthiſicos*, *Hydropicos* (quorum morbus, ſi ex Hepatis Lieniſve obſtructione oriundus fuiſſet, aliquod iiſdem ſperare hinc licuiſſet remedium ac emolumentum), *Maniacos*, *Deliros*, *Mutos* & *Surdos* ipſâ à nativitate ſuâ, &c. imò nonnullos *membrorum luxatione* diu vexatos, fontis hujus

aqua,

aqua, tam intrinſecùs, quàm extrinſecùs temerè ac fruſtraneâ operâ adhibuiſſe & applicuiſſe.

§ 3. Ut ſentiam, ſi vel *Cultrivorus* talis, qualis anno hujus ſeculi XXXV. cùm *Regiomonti* Medicis meis ſtudiis operam impenderem, ibidem dabatur, & per ſectionem Ventriculo exempto cultro ſanabátur, nunc exiſteret; eundem etiam hùc venturum, ſpe liberationis à cultro deſideratæ, & ſanationis adactus.

§ 4. Verùm enim verò quanta ingenij humani hæc perverſitas, & Imaginationis inſolentia! Et nullus dubito, quin ſani æque, ac ægroti morbidique plures, *temerario*, ſeu non-neceſſario, *immodico* & *inordinato* hujuſcé aquæ *uſu* Naturæ ſuæ vim talem fecerint, qualem, ſi necdùm, ſuo certè tempore, ſed ſerò fortè ſuimet erroris pœnitentes, ſentient & obſervabunt. Quid enim ſano ac bene valente rei eſt cum Medicamine, aut Pharmaco?

§ 5. Arbitror autem, iis, qui *appetitûs* vi, ac *recreationis* * ſtudio adacti, hanc ſumunt bibuntque aquam, non tam nocere; quàm aliis, qui eandem ſine causâ, aut neceſſitatis ſtimulo, & ad longum temporis intervallum, inordinatè, & ſuprà omnem modum ingurgitando, aſſumunt. Quandoquidem certò certiùs conſtat, potiſſimam maximamque *Medelæ* ac *Medicamenti* partem conſiſtere in *recto uſu*, & *conveniente applicatione*.

* *Videlicet* ergetzligkeit halber.

§ 6. Verùm

§ 6. Verùm ſic agitur, ut dum adveniunt danturque qui vix Scholæ ritè valedicentes, ex ſuo arbitrio ſuadere hujus aquæ uſum *cuilibetcunque* audent, *ut convenientem*; iiſdem fides habeatur tanta, ut eâ de causâ laudentur, licet boni ferè ſocij, & fratres ignorantiæ reverâ ſint: imprimis ſi modò linguâ pollentes multa garriant, *donoque impudentiæ* prævaleant.

ARTICULUS V.

Varia hujus Aquæ in varijs corporibus, & variâ de causâ facta, operatio recenſetur & explicatur.

§ 1. UNo affirmant ore, qui hanc aquam, præſertim ad *notabilem* ejus quantitatem *copiamque*, bibunt, *Urinam provere*: & ſine ullo gravamine Abdominis & reliqui corporis tranſmeacula pertranſire.

§ 2. In paucis, fortaſſe in quibus *obſtructiones* dantur *Venarum*, aut *Ventriculus*, viſcosâ inutili ſaburrâ repletus, gravatur; aut peculiaris quædam locum habet *Imbecillitas*; excitat *Nauſeam vomitumque.*

§ 3. Si verò ad aliquot dies continuos eandem bibere perſeverent, plurinus *Alvi*, ſine dolore aut gravamine, ſubſequitur *ſolutio*.

§ 4. Et, quemadmodùm ex *ſpleneticorum* relatione mihi conſtat; obſervatur ab ipſis *ſubnigricans* quædam *materies*, pici conſimilis, una cum reliquis Alvi fæcibus foras ejecta:

ejecta: ſubſequente magno morbi levamine. Alioquin non obtinet hîc ſicut in *aquarum Pirmontanarum acidularum* uſu, fœcum alvinarum tinctura, ac *denigratio*. Nec etiam hæc fortiter adeò, imò illis longè * minùs evacuat purgatve.

* *Videlicet* in die weite ſo ſtarck nicht.

§ 5. Etiam in aquâ hâc obſervandum accuratè eſt, quòd, etiamſi quis vel jejuno ventriculo aliquam hujus copiam avidè hauſerit aſſumpſeritve, nullum tamen Corporis frigus, aut *refrigeratio* ſubſequatur. Sed contrà, poſt aliquam, diſcurrendo factam corporis commotionem, grata oboriatur corporis univerſi *incaleſcentia*: adeò ut illinc *inſenſibilis iſta Tranſſpiratio* valdequàm promoveri ſoleat. Imò aſſerunt quidam, quòd *Sudores provocaverit*.

ARTICULUS VI.

Num aqua hæc ſimplex ſit habenda; & tales, quales referuntur, nihilominùs ſubſequi indè valeant Effectus? quæritur, & utriuſque tum affirmativæ, tum negativæ veritas examinatur. Et quænam aquæ ejuſdem ingredientia ac conſtituentia ſimplicia vera ſint, oſtenditur.

§ 1. POſt hæc occurrunt nobis nonnullæ QUÆSTIONES proponendæ & enodandæ.

§ 2. Et primò quidem: *Num aqua Fontis hujus nunc adeò inclareſcentis, pro ſimplici ac*

PURA

PURA PUTA aquâ ſit habenda? & indè nihilominùs, uti ad calcem hujus videre eſt, tales EFFECTUS ac Curationes ſequi valeant?

§ 3. I. Fortè aliquis datur, qui affirmare illud audeat; eò quòd conſtet, hanc *acidulam* aquam non eſſe. Quoniam etiam novum id non eſt; cùm & antehac hîc atque illic vicini loci tales aquæ repertæ, laudatæ ac frequentatæ fuerint; adeò ut & earundem uſu aliqui fuerint ſanati: ſubſequentibus verò annis, ut puræ putæ aquæ, omnium virium ac virtutis expertes derelictæ ſint. Imò non pauci valetudinem indè deteriorem redditam experti fuerint.

§ 4. Et fortaſſis iidem illi per, ab aquis iſtis factam, juſtò *calidioris Sanguinis*, *Hepatis*, & aliorum viſcerum intemperie calidâ laborantium, *refrigerationem*: etiam per *mutationem Aëris ac Diætæ*, *ſepoſitionem* ordinariarum ex officio ac familiæ regimine incumbentium curarum; ac per concomitantem *Remediorum* aliorum *medicinalium* uſum: imò per fortem conſtantemque *Imaginationem* ſuæ redditi priſtinæ valetudini fuiſſent.

§ 5. Et quantùm ad *Imaginationem*: prolixè in eam poſſemus ratiocinari, ac faventia nobis *Authorum* teſtimonia allegare; quid & quantum ejuſdem Imaginationis vires, nunc & nunc præſtiterint. Sed id agere vetat promiſſum Brevitatis ſtudium.

§ 6. Quinimò aliquis obtendere poterit: ſi pecu-

peculiaris ineſſet huic aquæ virtus, *maturiùs longè detecta* fuiſſet. Et quod ad remanentem à Decoctione, *Pulverem*; indè nihil colligi, aut rectè concludi. Quoniam omnes fontes & aquæ *Bilſeltianæ* pulverem fæculentum, *calci* ſimilem ſecum ferunt. Idque quia montes calculoſos arenoſoſque eos perreptant, quorum Calculi lapideſve Calci combuſtione præparandæ aç conficiendæ apti ſunt. Atque illinc præ cæteris *Calculo*, *Arthritidi*, *Podagræ*, & aliis *Tartareis morbis* (quemadmodùm jam per viginti annorum decurſum, & ultrà hîc loci experior) viam ac aditum parant: & caprọpter ægri, tum *Calculo*, tum *Arthritide*, nominatim *Podagrâ* excruciati, minimè nobis deſint.

§ 7. Verùm II. aquam hanc *medicinalem* eſſe, putò firmiùs rectiuſque colligi & affirmari. Quandoquidem præter memoratum *ſalem nitroſum*, & aliorum inſuper commiſtorum Mineralium portionem, *ſpirituoſam* quandam *ſubſtantiam* ineſſe, ſuſpicor.

§ 8. Quod certè credere me jubet (ne alias, quæ ſuppetunt, memorem rationes), indubitanter obvia nuperrimè, Experientia. Quod nimirum aqua hæc, ſudo ac calidiore fortè exiſtente cœlo, terreis vaſis, aut Cucurbitis portatilibus infuſa, & confeſtim operculo arctiſſimè & firmiſſimè coucluſa; ex quibuſdam eorum vaſorum, ſub æſtuoſo eodem cœlo porta-

portatorum, diſcuſſo operculo, violenter eruperit, ac profluxerit. Illudque nunquam & minimè factum fuiſſet, credo, ſi nulli inextitiſſent ſpiritus. Haud ſecùs, ac quotidiè videmus atque obſervamus in *Mindanâ Cerviſiâ*. Quæ, ſi, quâ volunt, vehatur; dummodò ſpirituoſa juſtè, & bonæ ſit notæ, & Dolia inſuper arctiùs juſtò occluſa ſint, viminibus diſruptis, fundi aſſulas expellit. Eodem, inquam, prorſus modo hîc cum erumpente illâ ex vaſis aquâ, rem ſe habuiſſe oportet.

§ 9. Quòd etiam *Nitri*, aut ſalis petræ particeps hæc aqua exiſtat; jammodò verbo retuli. Idque quia vi ſingulari perrumpit: etiam vi *reſerandi, aperiendi, refrigerandi*; per *Renes* & *Veſicam tranſvehendi & evacuandi*, &c. præpollet.

§ 10. Cum D. *Helmontio*, ad ſtuporem uſque ingenioſo, aliter poſſem ratiocinari, ſi prolixitatem inſtitutum meum pateretur; & talia ei familiarium Philoſophicorum ac Medicorum principiorum nomina, taleſque terminiGermanicè reddi facilè ac commodè vellent.

§ 11. Remanens etiam, poſt abſolutum omnem evaporationem, *Pulvis* iſte (quantùm ego expiſcari ac elicere valeo) refert aliqualem *Acrimoniam*, *Nitro*, aut Salipetræ non abſimilem.

§ 12. Undè etiam (ut paucis cuncta complectar) eſt, quòd noſter Fons, ejuſque aqua *intemperiem*

intemperiem calidam temperet corrigatque; & venoſa partium capillamenta, viſcerumque *Obſtructiones* de-obſtruet, ac aperiat.

§ 13. Ampliùs. Indè etiam eſt, quòd omnia *turbata ſedet*: & *Ebullitiones* & *Fermentationes* humorum *inordinatas pacatas reddat*; atque omni qualicunque viâ ac ductu aggregatam, inutilem ſaburram divehat ac expellendam forâs apparet. Verbo: aliter eſſe nequit, quin oporteat hanc omnes Corporis ductus, & viſcera permeare; ſicque pariter cum Sanguine per Corporis univerſam compagem circulari.

§ 14. Indè etiam eſt, quòd emendare hanc oporteat *ſuccum Pancreatis:* perrumpere ac perluendo puriora reddere *vaſa limphatica*.

§ 15. Item indè eſt, quòd adaperiat *Nervos*, horumque, uti & venarum capillamenta; illorum corrigat *nervoſum ſuccum*, &c. Alioquin ſanè incredibile mihi videtur, quòd tales aliàs *inſanabiles*, Morbi eâ curari optatò poſſint.

ARTICULUS VII.

Plus quàm puram putamque AQUAM *eſſe, ulteriùs affirmatur ac confirmatur variis obſervationum argumentis. Ubi aquarum acidularum incommoda recenſentur, huic Aquæ contradiſtinctè.*

§ 1. QUòd *plùs quàm puram putam aquæ ſubſtantiam*, Aqua hæc noſtra conti-

neat referatque, indè inſuper colligere valui, quod (juxta hactenùs relata) poſtquam in novâ cucurbitâ vitreâ tres Canthari aquæ hujus decocti fuêre, poſt omnem evaporationem *Pulvere* relicto exempto, remanſerit, in cæteris à ſuprà laudato rei Chymicæ præfecto laboratorio juxta mecum obſervatis, *odor* non ingratus, & ferè ſimilis *ſpiritui Cornu cervi.* Qui ſanè probare facilè poteſt prædictum, Aquæ huic inexiſtentem *Spiritum*: cùm à purâ putâ aquâ coctâ, agitatâ & alteratâ, prout lubet, tale quid excitari nunquam poſſit.

§ 2. Simile quid probare poſſent *vaſa argentea*, à nobilioribus uſurpari ſolita. Quorum ſuperiora, nominatim opercula, & exteriora, per multiplicem in Balneatione obtinentem, hujus aquæ in & effuſionem, *ſplendorem ſuum* adeò *perdiderunt*, ac ſi ærugine, vel lixivio, aliove acri & erodente liquore imbuta, atque obducta forent. Adeò ſanè, ut non ſine forti, ex arte factâ, attritione ſplendorem ſuum priſtinum recuperare valeant.

§ 3. Indè etiam argumentum deduci poteſt, ad probandum quòd in noſtrâ hâc aquâ plus ſolitò, & quàm in aliis communibus, lateat; ſiquidem Fonti huic cum memorato prato, ubi idem datur, peculiaris quædam obtingit proprietas, & temperies. Quòd nimirùm (uti omnibus hîc notum eſt), etiamſi per univerſam Æſtatem hîc loci, ubi Fons noſter prodit, *Vaccæ*

urbicæ

urbicæ communes, & *Porci ſueſque*, commorentur, indeque maxima pars graminis depaſcendo abſumatur; multi tamen poſtmodum illùc acti Civium noſtrorum *Equi*, licet macilenti fuerint, dummodò gramine fruantur tanto, quantum dentibus apprehendere valent; ibidem brevi paſtione, præter & contra omnem noſtrum ingenij captum, reficiantur non ſolùm, ſed & accreſcant ſenſibiliter adeò, ut pingueſcant.

§ 4. Quod omne puſillo huic ac vili *Gramini*, an verò huic noſtro *Fonti*, & præterfluenti huic illive [a] *rivulo*; aut alij alicui cauſæ acceptum ferendum ſit; in præſentiâ diſcernere ac determinare nequeo.

[a] *Videlicet* einigen Mooſiſchen Waſſerlein.

§ 5. Inſuper in viris illis duobus, qui (quemadmodùm ſuperiùs retuli) poculorum quorundam adminiculo exhauriendæ, & in vaſa qualiacunque oblata, continuo motu atque agitatione brachiorum, transfundendæ huic aquæ per totum diem operam dant, obſervare mihi licuit, quemadmodùm & hodiè videre atque obſervare licet. Quòd videlicet circa lineamenta aut plicaturas volæ manuum, *cuticula abraſa* ſit; etiam in ſuperiore manu, & *circa Carpum Eryſipelati* & *exulcerationi* ferè ſimilis attritio facta ſit. Quæ certè à purâ putâ Aquâ fieri facilè poſſe, nefas putem affirmari.

§ 6. Et ſi foret *pura puta* Aqua, non adeò per Venas pertranſiret; imò multis certò cer-

tiùs corpus in tumorem extendiſſet. Multa, inquam, à multis, tantâ frequentiâ concurrentibus, querimonia fuiſſent inaudita. Cùm neminem conqueſtum ſciam: & apud alios quoſcunque Fontes, *acidulam proferentes aquam*, conquerantur multi; quòd hîc illicque in corpore hæreat. Adeò ut ex artis regulis propelli, derivari ac evacuari neceſſe ſit; alioquin oboritur *Cephalalgia, Vertigo, Tuſſis, Nauſea*, ac aquæ *Vomitio*: aut, in multis facilè, graviſſima *Colica paſſio, Stranguria, Inteſtinorum* aliorumque vaſorum *Obſtructiones. Appetitus alimentarius* imminuitur; cùm hîc augeatur. Excitantur etiam graves *Abſceſſus*, & partium *Diſſolutiones*. Adeò ut hoſpites ab illius aquæ uſu abſtinere cogantur. Multis oboritur præternaturalis *Somnus*. Quibuſdam contrà, ſomno quaſi propulſo; *continuæ* creantur *vigiliæ*. Nonnulli conqueruntur de *ſpaſmo ſurarum*: qua propter uſum ejuſdem omittere coguntur. In plurimis ab ejus uſu derivantur varij *Catarrhi*. Queinadmodùm in *Mulieribus* varij, ipſis proprij ſuſcitantur Morbi.

§ 7. Quod noſtram verò concernit Aquam, omnium eâdem utentium, ſi fieri poſſet, ſententias colligi velim. Tunc enim certò conſtaret, quòd, quamvis inordinata & immodica, ad integros dies continuos aſſumptio & ingurgitatio illa, jam memorata; & ab omnibus ferè & ſingulis, ſenioribus, junioribus; ſanis

& ægris

& ægris (licet his omnibus non obtingat illinc exoptata Sanitas) fiat: tamen non malè illicò ſe habere deprehendantur. Saltem quòd nemini jam recenſitorum Affectuum ullus obortus, aut obſervatus ſit. Illud autem hîc loci adeò notum eſt, ut indè ſingularis ſecurioris, & innocui usûs, & virium ac virtutis noſtræ Aquæ utilium veniat deducendum argumentum.

Articulus VIII.

Aquæ hujus utilitas ac virtus ex leviſſimo ac leniſſimo corpus afficiendi modo, ut & diutinæ vigoris hujuſce præſervatione, probatur.

§ 1. Et hoc etiam atque etiam animadvertendum eſt: quòd à memet, uti & aliis, ad unius præter propter Canthari Aquæ noſtræ aſſumptionem, antimeridiani temporis intervallo, continuò ferè hauſtu factam, nulla inſequens mutatio aut alteratio, ratione vehementiæ, velocitatis, &c. *Pulſationis Cordis & Arteriarum*, obſervari potuerit. Verùm omnia omninò *naturalia* manſerint: cùm non infrequenter poſt *Cibi*, aut *Vini Cerviſiæve* liberaliorem aſſumtionem, Pulſus valdequàm altetur, atque intendatur, acceleretur, & ingraveſcat. Hîc autem neutiquam, licet ſingulari attentione animum advertendo ſciſcitatus fuerim.

§ 2. Etiam annotandum venit, quòd hujus

noſtri Fontis aqua in terreo vaſe, vel æſtuoſiſſimis Æſtatis jã præterlapſæ diebus, ſine obſervabili alteratione *perdurare*, ac *præſervari* potuerit per multos inſequentes dies. Cùm è contrà obſervârim, ſi ex meo, quo gaudeo, domeſtico Fonte (cujus certè aqua frigidiſſima, & optimæ videtur notæ eſſe) eodem æſtuoſo durante cœlo hauſtam, ſtudio ac deditâ operâ per noctem ſeponerem; eandem adeò depravatam fuiſſe, ùt propter fœtorem gravem, eâ manus meas lavare non valuerim. Et ſi lavâſſem, poſt abſterſionem ipſam, fœtorem adhucdùm ſervârint.

§ 3. Sed quid opus eſt ulteriore cauſarum, rationumque indè petitarum allegatione; cùm ſubnexit *Caſus*, & ipſa eorundem confirmata *Experientia* virtutem ac vires hujus noſtræ aquæ eximias teſtentur adeò clarè; ut, ſi quis de iis dubitare velit, pari jure, arbitrer, calefi ciendi virtutem ſoli denegare poſſe.

ARTICULUS IX.

Reſpondetur Objectionibus, ſuperiùs propoſitis: quibus ſcilicet infertur, puram putamqne hanc aquam eſſe; & idcircò de Viribus ejus decantata exigui facienda.

§ 1. UT autem nunc ad ea reſpondeam, ſuperiùs oggeſta argumenta, quæ hanc noſtram *puram putamque* Aquam eſſe; indeque

indeque parum de *Viribus* ejuſdem ſentiendum, inferre videntur: maximè quoniam *acidula* aqua nulla eſt. Animadvertendum primò eſt; quòd, ſi fortè nomen illud & appellatio non quadret, huicque noſtro cum aliis nominatis fontibus minùs conveniat; ſufficiet nobis, hunc noſtrum plus præſtitiſſe, quàm ab ullo alio, vel *acidulo Fonte*, vel ab ullis *Thermis*, *calidiſque* fontibus auditum, aut præſtitum effectumve fuit.

§ 2. Ampliùs: quòd, poſito & conceſſo, puram putamque Aquam *celebrem* quandoque factam, eique à nonnullis vires tributas ſingulares fuiſſe: tamen allegata *Argumenta* evinci facient, heîc illud minùs obtinere, adque hunc noſtrum Fontem deductam conſequentiam non valere.

§ 3. Etiam credere nequeo, per illas aquas tales, quales hinc, *Curationes* factas fuiſſe. Verùm; quòd fortaſſis per, eâ præſtitam aliquatenùs *refrigerationem*, ac contemperationem; per mutationem *Aëris* & *Diætæ*, etiam per *ſepoſitionem curarum* ac ſollicitudinum, potuiſſent ſanari. Quod tamen in tam multis, & graviſſimis quidem morbis, in quibus Remediorum aliorum medicinalium, ut infructuoſorum obtinet remotio, locum invenire aut habere nequit.

§ 4. Conſimiliter, licet à nudâ ſolùm, fortiùs inſtitutâ *Imaginatione* nonnullos interem-

ptos eſſe (quemadmodùm *Henr. ab Heer, in Obſ. Med.6.* audet referre; & hîc largiter deſcriptum poſſet interſeri): ridiculum tamen foret credere, quòd eadem Imaginatio, ejuſque vis apud tot, ac tam varios hîc ſanatos locum inveniret; ac ſi per eam fortiorem curari ac ſanari potuiſſent.

§ 5. Nec obeſt quicquam illa Objectio: quòd nimirùm *ocyùs & antehàc* Fontem hunc noſtrum oporteat *detectum fuiſſe*. Quandoquidem hoc Fonti cum reliquis rebus, Fontibus aliiſque eruendis, detegendis ac probandis, commune eſt. Quemadmodùm celeberrimæ nunc, toties memoratæ *Aquæ acidulæ, Thermæ*, aliæque aquæ ſuo quoquo tempore inclaruerunt, & deſideratæ cum frequentiâ ſunt.

§ 6. Sicuti etiam nihil nobis obeſſe conſtat: quòd aliæ obſervabilium Fontium, rivulorumque *Bilfeltianorum* aquæ etiam *Pulverem* ſecum vehant. Quoniam ille, Pulveri prælaudato noſtro diſpar & *diſſimilis* eſt; quemadmodùm etiam ex jam propoſitis ac diductis latiùs licet obſervare ac probare.

ARTICULUS X.

Fontis hujus origo, ac virium ejuſdem derivatio inquiritur.

§ 1. ULteriùs à curioſo quo rerum Inveſtigatore quæri poterit: *Undenam*

Fontis

Fontis hujus aqua originem ſuam trahat, & excellentes adeò virtutes mutuetur? Et *an neceſſariò à Montibus* (qui tamen ad ſpatium ſatis magnum hinc diſtant, & in quibus celeberrimum Munimentum *Sparenbergenſe* prænominatum ſitum eſt) *defluat ac derivetur*: quemadmodùm pueriliter certè, nonnullos judicantes audivi?

§ 2. Quòd autem ſe res ita non habeat, probatur: quia hæc Fontis noſtri aqua neque iis aquis, quæ in munimento prædicto ſcaturiunt, neque iis, quæ inferiùs extra illud ſe produnt, neque etiam cum iis, quæ in urbe hâc *Bilfeldienſi* profluere obſervantur, aquis ſimilis ullatenùs exiſtit. Propterea quòd *Urinam non moveant*. Uti & propterea quòd nullæ ab iiſdem tales *Curationes*, qualis in calce hujus videre licuerit, ſperari aut expectari queant.

§ 3. Et dubito quoque, an cum appetitu ac deſiderio juſto *tanta illarum*, quanta quidem hujus noſtræ, *quantitas* ac *copia* aſſumi bibique queat. Quemadmodùm etiam ſentio, quòd earundem tantæ quantitatis, per dies aliquot continuos facta, aſſumptio, ſine valetudinis bonæ detrimento non obtinuerit.

§ 4. Igitur ſicuti nemo *locum* eum, unde *defluat ac derivetur* hæc aqua noſtra, eruere & aſſignare nequibit: ita etiam nullus, *undenam ſuas*, queîs gaudet, *vires ac virtutem mutuetur*

ac deſumat, obſervare poterit. Quis enim Dei novit myſteria? & quàm mirabiliter Aqua per Terræ cavernas, intimaque ejuſdem tranſmeacula circumducatur?

§ 5. Et ſi quis fortè ſuper hôc negotio Philoſophari voluerit, haud certiùs quid concludet, quàm hactenùs ſuper *Fluxu ac Refluxu Maris* concluſum ac definitum eſt.

ARTICULUS XI.

Uſuſne aquæ hujus internus externo præferendus, & anne conjungi utrumque oporteat? diſquiritur; & diſtinctim reſpondetur.

§ 1. LOngè autem utiliùs hîc quærere liceret: *Num Uſus hujus aquæ fontanæ internus, externo præferendus & anteponendus ſit: an verò ſemper alter alterius requirat conſortium?*

§ 2. Diſtinguere hîc debemus eos, qui *voluptate* acti, ſeſe reficere ſimpliciter ac nudè ſtudent; ab iis qui, *aut* fortè imminentis Morbi evitandi, & ſic ſe præſervandi; *aut* jam invadentibus & vexantibus Affectibus medendi causâ hanc aquam appetunt, adhibentque.

§ 3. Inſuper ſupponere debemus, ſingularem, jam concomitantem quoque *exteriorem* affectum; quo demùm poſito, utriuſque, tum *interni*, tum *externi* uſûs poteſt haberi ratio.

§ 4. Hiſque prænotatis ac poſitis, juxta

ea,

ea, quæ hactenùs dicta ſunt, concludi poſſe autumo: quòd ſine *interno* hujus aquæ uſu, parum effici, aut obtineri poſſit.

§ 5. Quandoquidem ſcio, quòd omnibus imbecillioribus, lecto ferè aflixis, qui aquæ hujus largum hauſtum renuentes, nonniſi *parum* & *paullatim* bibere avebant; poſt *Balneationem*, licet diù ac frequenter factam, ſalutis, aut emolumenti parum obtigerit.

ARTICULUS XII.

Modus hujus Aquæ in caput, & nervoſum genus agendi definitur; & variæ indè dependentes Curationes diducuntur & explicantur.

§ 1. QUicunque porrò animum advertere, & rem rectè putare volet; ille obſervabit, aquæ hujus *operationem ſingulariter in ſincipite ſentiri*. Imò nonnulli aſſerere audent, eam ſibi haud aliter videri, quàm ſubitò natam *inebriationem*.

§ 2. Undè elicitur, quod mirari quoque non detur; ſi, dum præcipuè adeò *nervoſum* perrepit ac conſcendit *genus*: eâdem, *inſanabiles* aliter, *cataractas* quaſi aperiri, ac tolli affirmetur.

§ 3. Illinc enim, in cæteris, oportet *nervos opticos* fortè obſtructos, deobſtrui: adeoque gemmæ pretioſiſſimæ ac nobiliſſimæ loco habendam, *videndi facultatem* reſtitui.

§ 4. Eodem

§ 4. Eodem quoque pacto oportet, celeriter adeò, in *Paralyticis* affectibus, ac membrorum *Contractione*, *quaſi miraculosè*, ſubſequi ad hujus aquæ uſum, virium reparationem ac ſalutem.

§ 5. Et quod nonnullos ab Epileptico illo affectu graviſſimo, quem *Caducum* vulgò *morbum* * nominant, liberet; indè fieri oportet, quòd *virus* illud *epilepticum* quaſi-extinguat, humoremque acrem, morbi cauſam contemperet, ac derivando expulſioni apparet.

* *Videlicet Germanicè:* Der ſchweren Noth.

§ 6. Virgo quædam, meæ data commiſſaque curæ, quæ jam ad novem annos continuos morbo eodem *epileptico* laboravit, & nunquam ultra tertium quemque diem à paroxyſmo libera manſit: nunc ad ſex dies aquam hanc bibit, paucâ ex Diætæ ordine, ſuperaſſumptâ Cerviſiâ. Et ad hunc uſque diem à paroxyſmo liberata deprehenditur.

§ 7. Deus, ſpero, ſanitatem reddet; poſteaquàm experior ægrorum plurimos, abſque alio *Medicamentorum* aliorum concurſu, ſuæ valetudini reſtitutos eſſe. Quinimò talia ferè ſupervacanea videntur.

§ 8. Et deditâ hactenùs operâ, eorundem nihil omninò *conſulere* volui. Ut ſcilicet tantò meliùs in virtutem ac vires hujus noſtræ Aquæ poſſem inquirere, & eaſdem rectiùs cognoſcere. Ne fortè etiam operationes ejuſdem aliquam partem impedirentur.

§ 9. Non

§ 9. Non inutile certè, aut indecens foret, ſi, *quonam modo in cæteris omnibus ac ſingulis Affectibus præternaturalibus, Valetudinis per hujus aquæ uſum ſuccederet reſtitutio, viriumque collapſarum reſtauratio*: hîc, uti poſſem, liceret edocere ac demonſtrare. Sed, quandoquidem hæc feſtinanter, & volante velut calamo in chartam conjicio; neque animus eſt conſcribere Tractatum, neque præter inſtituti tenorem ac jura quicquam tractare debeam: ſuffecerit hâc vice pauca vel primis digitis attigiſſe.

ARTICULUS XIII.

Dubio illi: Num per Autumnum Hyenemque inſequentem protrahi annum poſſit, & continuò integra ac ſalva perdurare hujus Aquæ virtus? ſatisfit: & Aquarum acidularum differentia aſſignatur & demonſtratur. Et ſubjungitur pium votum, & admonitio condebitæ reverentiæ & gratitudinis erga Deum omnipotentem.

§. 1. FOrtean ſuæ valetudinis recuperandæ deſiderio captis gratum acceptumque fuerit ſcire: *Num ſubſequente anno, & per præſentem Autumnum, atque Hyenem ſubſecuturam continuò, operationem hujus Fontanæ aquæ eandem expectare & ſperare liceat?*

§ 2. Et optarem quammaximè, ut quæſtionem hanc ſine errore *affirmare* poſſem.

§ 3. Quamvis

§ 3. Quamvis enim nobis hîc loci notæ aquæ Fontanæ *acidulæ*, Autumnalis ac Brumalis temporis viciſſitudine variâ inutiles ac ineptæ reddantur: tamen impoſſibile fortè non fuerit (ſi modò cœlum porrò faveat, neque alij fontes huic admiſceantur) in ſequentem quoque annum hujuſce operandi virtutem produci, ac tunc, nî ſingulares imbres eam vetent impediantve, operationem conſimiliter locum habere.

§ 4. Dei autem omnipotentis eo fine ſeriò implorandam velim gratiam: quò inſigne illud donum apud nos diutinum ac continuum reddere, ſicque multorum malè adeò valentium hominum miſereri velit.

§ 5. Quidnam certè Mundus ſit, & quàm vère vicina hæc regio *Lazaretho* ſimilis exiſtat; hîc videre contingit. Quapropter nullus dubito, quin multi rationem, indè obviam petierint, pennas plumaſque illas refulgentes Pavoninas demittendi, ſubmiſſoque animo humanam miſeriam cogitandi. Admiranda quoque ejuſdem gratiæ dona maximi rursùs faciendi: & pro recuperatâ inæſtimabili Sanitate eidem, ex intimo Cordis affectu gratias agendi & habendi.

ARTI-

ARTICULUS XIV.

Num ejus uſus ad ordinariam Alimentorum præparationem & aſſumptionem rectè & utiliter trahatur? diſquiritur.

§ 1. NOn putem etiam eum graviter errare, qui *Cibum* hujus noſtræ Aquæ adminiculo præparare *vinoque*, in menſâ aliquantillum ejuſdem *admiſcere*, indeque *Cerviſiam coquere*, &c. cogitârit.

§ 2. Anne verò ſingularis quædam *utilitas* illinc ſperanda veniat, omnium rerum optima magiſtra Experientia (uti & aliorum Dubiorum veritatem, an falſitatem) poſt hæc ampliùs docebit, & manifeſtabit.

§ 3. Eâ etiam de cauſâ, etiamſi multæ hîc aliæ produci ac enodari poſſent Quęſtiones; tamem (maximè, quoniam tales hùc propriè non pertinent, & aliquam quoque partem inutiles, & ad noſtram ſpartam ſcopumve minùs faciunt; etiam prolixitati potiſſimùm ſerviunt, LECTORI tædium creari oporteret) eas omittere cogor: & aliò remittere, occaſione fortè aliâ meliore datâ eadem cuncta pertractaturus.

ARTICULUS XV.

Methodus hactenùs deſcriptâ, noſtrâ aquâ medendi, PAUPERIBUS præſcribitur.

§ 1. UT autem illi, qui hôc noſtro ſaluberrimo Fonte uti deinceps ac frui cupiunt, ſciant; *quo pacto ac modo ejus uſum rectè inchoare debeant?* breviter definio, quòd, quos Medici cujuſdam conſilium ex more ſolito petere, aut Medicamenta coëmere vetat

—— *res anguſta domi*:

ita curam ſui inſtituere debeant.

a Germanicè: drey) Orth.

§ 2. *Initio* oportet *tres* [a] *quartas unius Cantbari*, inæquales juſtè diſtinctas doſes, intermiſſâ expatiatione, aſſumant.

§ 3. *Sequentibus* diebus *quantitatem* ejus *adaugeant*, eò uſque aſcendendo, quò animadvertere & ſentire poterint, abſque ullo nocumento Naturam corporis vireſque ferre poſſe.

§ 4. Et, ut tantò facilius meliùſque per urinarias vias Aqua divehatur, omniſque *hæſitatio* ejuſdem, aut *obſtructio* præcaveatur: utiliter ſubindè ſumpſerint, biberintve *cochleare unum Aquæ vitæ*, *Spiritûs Vini*, aut parum mei *Pulveris ſtomachalis*.

§ 5. Deinceps ad *Prandium*, ac facilis Coctionis & digeſtionis, *Cibum* aliquem ſumendum ſe convertant; eumque *quantum lubet*, &

non

non ultrà quàm lubet, aſſumant. Et *Cerviſiæ* pa- „
rum bibant. „

§ 6. *A Meridie*, quò citiùs ad ſuum ſcopum
perveniant: hanc aquam fontanam reſumant, „
verùm *minore*, *quàm manè copiâ.* „

§ 7. *Veſperi* porrò aliquantulum rurſùs co-
medant, tempeſtivè cubitum ire allaborent, „
quò *ſummo mane* Fonti noſtro adeſſe iterùm „
queant. „

§ 8. In quibus *externus* ejuſdem uſus requi-
ritur; iis, ſi *Balneum* indè præparatum deſide- „
rent, conſulo, ut Aquam eandem ſumant *te-* „
pidam, aut *moderatè calidam.* Balneationemque „
ritè peragant. „

§ 9. Qui verò *Epithemata* quærant: iis con-
ſulo, ut itidem moderate calida, pro caſûs ac „
affectûs varietate, eadem, vel *affundatur*, vel „
Linteaminum ope parti affectæ *applicetur* & *cir-* „
cumdetur. „

§ 10. Quemadmodùm, hæc ſi ita, ritè ac
debitè peragantur, ſubſequi ſolet deſiderata
Reconvaleſcentia, Sanitatiſque reſtitutio.

Articulus XVI.

Methodus eâdem medendi, DITIORIBUS præſcribitur.

§ 1. ILli verò, q[illegible]utior conditio plura
agere & adhibere permittit; conſimili- „
ter procedere debent. Niſi quòd ſubindè inter „

„ prandendum ac cœnandum intermiſcere Cibo „ *Vini ſincerioris* hauſtum; Diætæque regulas ac- „ curatiùs ſervare debeant.

§ 2. Alioquin Fons hic noſter vel non, vel admodùm pauco indiget Medicamentorum apparatu & adjumento. Propter jam allegatas enumerataſque Rationes & Cauſas. Maximè, quia jam enumerata ſuperiùs *Symptomata*, propter virtutis Aquæ noſtræ, quam retuli, excellentiam, non ſolent excitari.

§ 3. Verùm iis, qui graviſſimo aliquo la- „ borarent morbo, meque conſulerent, ſingu- „ lariter præſcripſi uſum alicujus *Spiritûs ſtoma-* „ *chalis*, aut *Pulveris Stomachalis groſſi*, & Re- „ media ſimilia alia; quæ omnes *Morſellos*, *Lin-* „ *ctus*, dulciaque cætera, propter certas rationes, „ longè exuperant & antecellunt.

§ 4. Scorſim ac ſingulatim omnia proponi nequeant; haud ſecùs ac impoſſibile eſt, omni pedi calceum, & omni calceo formam unam & æqualem adaptare.

§ 5. Siquando Fontis hujus curſus ac virtus conſtans permaneat; latiùs ad omnia nos Experientia laudata, velut manu ducet. Tuncque abſolutiùs ac perfectiùs cuncta diduci ac pertractari poterunt.

§ 6. Interim, BENEVOLE LECTOR, hæc ſufficiat tibi Inſt[illegible] & quam præſtare ac conferre valeo, op[illegible]m & officium meum tibi aliiſque quibuſlibet oblatum habe.

ARTI-

ARTICULUS XVII.

Morbi quinam, & quot curati; quæque in eorundem relatione datâ notanda veniant, explicatè dicitur.

§ 1. SEd antè, quàm calamum repono, finemque facio: notari velim, ex productis hactenùs rebus ac rationibus, & annexis *Curationum Exemplis* facilè unumquemque videre ac colligere poſſe, *in quibuſnam Affectibus* Fons noſter opem utilem attulerit.

§ 2. Oportet autem hîc loci in memoriam revocare, 1. quod multò plures curati ac ſanati ſint, quàm qui ſua dederunt nomina. Et 2. quòd hujus Aquæ virtute; alij quoque Morbi poſtmodùm, quaſi evanuerint. Et tandem 3. quòd tales Curationes, tanquam *res facti*, habendæ adeò ſint, ut neminem de iis dubitare oporteat.

ARTICULUS XVIII. & ult.

Aquæ hujus virtus præſervativa laudatur: & quibuſnam Affectibus præcavendis dehinc ſit futura habilis, narratur.

§ 1. SI quando, inquam, virtus hujuſce noſtræ Aquæ perduret conſtanter; ex præcedaneis jam dictorum argumentis facilè elici ac concludi poterit, eandem *Præſervationi*

quoque multorum Morborum fore utilem, ac reipſà profuturam.

§ 2. Utique aliqua eorum rememorem nomina: præcavebit *Febrem* acutam ac contagioſam, ex *morboſo* oriundam *apparatu*; *Vertiginem*, *Epilepſiam*, ſeu Morbum caducum; *Apoplexiam*, *Cæcitatem*, *Surditatem*, *Luxationes* ac *Paralyſes*, *Contractiones*, *Obſtructiones Hepatis* & *Lienis*; *Arthritidem*; *Podagramve*; uti & multos varioſque affectus, malaque Corporis *externa*. Quæ etiam ſingulatim recitare ac proponere poſſem; ſed, dum brevitati ſtudeo, his impono

FINEM.

AUTORIS

Ad ſelecta, Fontanâ hâc aquâ SANATORUM, & ipſorum, à quibus liberati, MORBORUM Exempla

INTRODUCTIO.

POſtquàm igitur hæc eatenùs impreſſa ſunt, promiſſis congruenter (quæ omnigenorum ferè) Morborum Curationes, Curatorumque EXEMPLA ſubjunctim appendenda veniunt. Quoniam autem eorum, qui Nomina nobis dederunt, & pro quorum, optatò ſuccedente, ſanatione, precibus matutinis Deo gratiæ condebitæ ſolenniter actæ ſunt, numerus præter propter finem Menſis Auguſti *jam excrevit adeò, ut ſuperârit* ducentos & quinquaginta: *& eorundem pariter facienda narratio, atque impreſſio, temporis atque ſumptuum bonam partem requirerent; animum, ſicut debui, mutavi eatenùs, ut ex multis adeò pauca duntaxat, &* præcipuæ notæ *quæ dantur*, Exempla ſeligere, *& ſelecta hîc ſubjungere voluerim. Ut nimirùm BENEVOLUS LECTOR, quidnam in* Aquâ *hâc noſtrâ lateat, & quænam ejus ſingulares* virtutes *ſint, ipſemet animadvertere ac judicare valeat.*

EXEMPLA IPSAMET

Circumſtantiis inveſtita.

N°. 1. CIvis hujus urbis BILFELDIENSIS, cui nomen Jobſt Schütte/ primus fuit, qui ad aquæ hujus ſaluberrimæ uſum membra ſui corporis qua *Paralyſi* ſoluta, correcta & reparata eſſe teſtatur.

N°. 2. Civis etiam hujus urbis, primæ notæ, cui nomen JOHANNES-HENRICUS Schreſt; qui ad ſex annorum integrorum intervallum, *Arthritide* adeò corripiebatur, ut inſtar *paralytici* fulcris ſubalaribus continuò uti fruique coactis, ſuo muneri planè ineptus fuerit. Poſtquam autem indies aquam hanc bibit, indeque confecto Balneo membra ſui corporis fovit, rejectis illis fulcris, ex arbitrio incedere, Templum ſacraque frequentare, & quaquaverſum exire poteſt.

N°. 3. Jlſche vor den Stegeln von Hoil/ Diœceſios Oſnabrugenſis; cui *Pollex* ab ipſâ nativitate quaſi incurvatus introrsùm verſus Manûs volam increverat; uti & *viſu carebat*, utroque malo per hujus aquæ uſum liberata eſt.

N°. 4. Duo filij civis cujuſdam hujus urbis, nominati Sanner Munning / quorum unus omninò * *Cæcus* erat *utroque* oculo, alter *uno* oculo tantùm: ſanati per hanc aquam, viſu iterùm gaudere obſervantur.

* *Videlicet* Das Geſichte gang weg.

N°. 5. Uxor

N°.5. Uxor cujuſdam JOHANNIS-ANTHONII, Orſavienſis, ſub ditione Clivenſi; quam tantus, *per univerſum Corpus perreptans dolor* cruciabat, ut neque de die, neque de nocte quieſcere aut dormire poſſet: hujus aquæ uſu ſanata eſt.

N°.6. Jlſche zum Dicke von Greſen/ Diœceſios Monaſterienſis; cui pedes & crura per tres annos *ulceroſa* admodùm & tumida fuerant: & diu, *Epileptico*, aut Morbi caduci paroxyſmo per horas ferè tres, ad ſingulos dies miſerè vexabatur: ab utroque affectu liberata eſt.

N°.7. MAGDALENA Koch von Rienſel/ Diœceſios Oſnabrugenſis, quæ novem annos continuos *uno cœca oculo* fuerat, ſanata nunc eodem quoque videt.

N°.8. Cujuſdam Civis hujus urbis, cui nomen Cort Bäumer / filiolus; cui omnis Corporis carnoſitas *Tabe* quaſi conſumebatur; poſt hujus aquæ crebrum uſum ex univerſo corporis ejuſdem ambitu innumeri *vermes*, extrahendi inſtar pennularum anſerinarum ex cutis poris, ſudoris loco quaſi prodierunt. Iiſque ſingulari Dei beneficio liberatus, bonâ nunc fruitur valetudine.

N°.9. ANNA CATHARINA Böſers / Clivenſis; quæ ultra decennium, *Abdominis & pedum tumore* adeò laboravit, ut procumbere, inflectereve ſe, aut quicquam grave

vel momentoſum agere nequiverit; nunc agilis & bene valens, univerſi Corporis uſu gaudet.

N°. 10. JOHANNES Henſman/Civis Warendurpienſis; qui per quadriennium *cæcus* fuit, reparato viſu, nunc iterùm ex voto videt.

N°. 11. CATHARINA auf dem Mergkampffe aus dem Orlinghauſer Kirſpel; quæ ſeſqui-annum præter propter *Crurum ulcere* gravi laborabat, nunc valetudine gaudet priſtinâ.

N°. 12. BERNHARDUS Deters/ Rhedenſis; præter propter quinquennium tantos *dextri pedis dolores* perpeti coactus, ut vix incedere, de nocte ſanè quieſcere minimè poſſet; doloribus quaſi diſſipatis, pede eodem nunc fruitur integro & habili.

N°. 13. JOHANNES Schengbar auff dem Noltkampe / von Borgholthauſen; qui quadriennij ſpatio tantos perpeſſus fuit *univerſo in corpore dolores*, ut quieſcere minimè poſſet; nunc ſanatus obſervatur.

N°. 14. Jürgen Buerman / von Oelde/ Diœceſios Monaſterienſis; qui ferè per trium annorum intervallum *Podagrâ* adeò vexatus fuit, ut ſine fulcro, aut ſcipione intercedere nequiret; hinc bene valens alacrique progreſſu divertit domum.

N°. 15. Braaken Liſabeth/von Iſſelhorſt;

quæ

quæ jam novennium *lecto affixa quaſi*, nonniſi hàc illacque divchi & portari poterat: nunc eouſque reconvaleſcit, ut unius ſcipionis adminiculo incedere valeat.

N°.16. Uxor cujuſdam BERNHARDI Grieſen / von Oelde / Diœceſios Monaſterienſis; ad aliquod tempus *crurum pedumque cruciatu gravi* adeò laborans, ut nonniſi de loco in locum tranſvehi portarique poſſet: ſanata eſt.

N°.17. Jlſabe Schultes/von Oelde/Diœceſios Monaſterienſis; quæ longo temporis intervallo *Ophthalmiâ* laboravit, ab eâdem nunc liberata cernitur.

N°.18. BARBARA Hoffmans/ aus Mähren; cui ante quatuor & viginti annos *exteriores pedes* (ab algore adeò correpti fortè, ut Gangrænam conceperint) amputati fuerant, *vulnere* relicto tam pertinaci, ut à Medicorum aut Chirurgorum nullo conſolidari ac ſanari potuerit; indeque intumeſcentiam ingentem, & intolerabiles perpeſſa fuerat dolores: nunc vulnus idem conſolidatum, & dolores evanidos planè ceſſare gaudet.

N°. 19. Uxor cujuſdam HEINRICI Sultzſtic/aus Rimſel/ Diœceſios Oſnabrugenſis; cui ante duos ferè annos cum dimidio in puerperio talis *omnium Corporis membrorum intumeſcentia*; taleſq; indè dolores oborti fuerant, ut maximam ſubſequentis temporis par-

tem lecto affixa quaſi decumbere coacta fuerit: nunc ſanata eſt.

No. 20. Tönnies Krahmer / aus Güterſloh; qui integrum annum *per omnia corporis membra* perferre *dolores*, adeò intenſos coactus fuit, ut neque *manus claudere*, neque *brachia* verſus caput *attollere*, neque *pedes Protendere* aut *promovere* potuerit: integrè reſtitutus eſt.

No. 21. Filio cujuſdam civis hujus urbis nomine HERMANNI Gärtners; qui præter propter biennium *crurum ulcere*, admodùm moleſto vexatus fuerat; ulcus idem plenè conſolidatum nunc eſt.

No. 22. Grete zur Weſten / von Klaholt; cui ferè abhinc decem hebdomadas affectus accidit talis, ut *uno pede quaſi reſoluto*, ſuſtentaculis aut fulcris axillaribus uti coacta fuerit; propè fontem hunc fulcra eadem ſuſpenſa reliquit.

No. 23. OTTO Hille / Lipſtadienſis; qui per annos aliquot *Podagrá* adeò laboravit, ut ſe hùc advehi curârit: jammodò incedere incipit.

No. 24. CHRISTOPHORUS Aſchhoff/ Wiedenbrugenſis; qui per triennium *ſe erigere tam agrè valuit*, ut fulcris axillaribus ſe continuò promovere de loco in locum coactus fuerit; nunc erecto corpore incedit ambulatque.

No. 25. Gerd

No. 25. Gerd Batho / von Nienhauſe / Diœceſios Paderbornenſis; qui ultra ſexennium *Cruris ulcere ſordido* vexatus fuit; nunc ſanatus videtur.

No. 26. JOHANNES Reckman/von Hildesheim; qui poſtquam quadriennium graviſſimo illo morbo caduco, *Epilepſiâ*, laboravit; eo nunc liberatus & ſanatus eſt.

No. 27. FELICITAS Sanders/von Rehme; cui jam ſexennii intervallo unam manum, & utrumque pedem *Impetigo* occupârat, ſummâ pertinaciâ omnibus reſiſtens remediis; aquæ hujus uſu ſe ſanatum experitur.

No. 28. Uxor cujuſdam JOHANNIS Kochs/von Aſſen/ Diœceſios Paderbornenſis; cui *unum crus*, poſtquàm præter propter triennium graviſſimos perpeſſa fuerat dolores, *emortuum* videbatur; nunc ſanata quoque eſt.

No. 29. D. DIDERICUS GEORGIUS RIECHARD, cognominatus Weiman / von Geſeke/ Turmæ equitum præfectus; cujus *uni cruri*, noviſſimo bello contra Turcas geſto, in Ungariâ, *periculoſum valdè vulnus inflictum ſclopeto fuerat*; apud Fontem hunc in erecto Tentorio aliquo commoratus; quod à nullo Chirurgo ſanari potuit, aquâ hâc ſanatum omninò experitur.

No. 30. Filiolus ADOLPHI HEINRICI Heydman / ſeptem annos natus; qui præ membrorum infirmitate *incedere* aut *pro-*

gredi

gredi necdum poterat; nunc aquâ hâc uſus, incedere incipit & progredi.

No. 31. Ente zum Nienhauſe / von Oſtenfelde; cui abhinc annos aliquot, crus unum aliquantum *contrahi*, & quaſi abbreviari cœperat; nunc aquæ hujus uſu erecto eodem fruitur.

No. 32. Cord Meyer zu Dörentrup / ex Comitatu Lippienſi; qui per octodecim annos ingentes perferre coactus fuerat *Nephriticos dolores*, nunc aquæ hujus uſu per urethram tres calculos piſis majoribus æquales excrevit. Uti & per quinquennium cum *Podagrâ* miſerè conflictatus, magnum nunc ſentit levamen.

No. 33. Filia cujuſdam Jobſt Stoltz / aus dem Steinhagen / annos nata ſeptendecim, quaſi *Paralytica* tota, neque præ *dolore* quieſcere valens; jam modò manus commovere, incedere,& præ doloris imminutione quieſcere poteſt.

No. 34. Ermgot Hurlheid von Hain / *fiſtuloſo ulcere* per omnia membra exteriora jam ſexennium divexata; nunc planè ſanata eſt.

No. 35. JOHANNES Hölſcher von Oſtenfelde / Diœceſios Monaſterienſis; cui *brachium planè reſolutum*, ineptum motui erat: nunc eodem probè correcto fruitur.

No. 36. Filiolus cujuſdam Gerd Börmans / Oſnabrugenſis; qui quadriennis, per biennium totus

totus *paralyticus* fuit, ut eum quo vellet, portare ac circumferre neceſſum foret, nunc incipit ex arbitrio progredi.

Nº. 37. PUELLULA von Verſzmold / duos cum dimidio annos nata, præ infirmate continuò *portari ac circumferri* ſolita; nunc liberè & expeditè incedit.

Nº. 38. WILHELMUS Ellerkamp / Oſnabrugenſis; qui ultra decennium *loqui*, & annum ultra unum *audire* * *non valuit*; nunc rurſus loquitur & audit.

* *Videlicet* Das Gehör vergangen.

Nº. 39. Filia cujuſdam ARNOLDI Ringelſman / Oſnabrugenſis; qui jam decennium *gravi* laboravit *auditu*; hujus aquæ uſu rurſus facilè audit.

Nº. 40. Gerd Schmidt / von der Huntenborg; qui quadraginta annorum decurſu laboravit *pede uno prætumido*: nunc eodem liberatus incedit.

Nº. 41. REGINA Harerkamps / ex Diœceſi Oſnabrugenſi; quæ per tredecim annos *prætumido* & *ulceroſo* vexata fuerat *crure uno*; nunc ſanata eſt.

Nº. 42. Anke Schultz zu Brinke von Hagen / Diœceſios Oſnabrugenſis; quæ duorum cum dimidio annorum ſpatio, continuò *nauſeabunda* adeò fuerat, ut vix aſſumpta & ventriculo ingeſta, vomere coacta fuerit: nunc ſanata quoque eſt.

Nº. 43. Filius HEINRICI Kling-

ſicke

ſicke von Kirchlennigern/ ſex annos natus; qui ab ipsâ nativitate toto corpore *ſcabioſus* fuerat; nunc ſcabie liberatus, bene etiam valet.

N°.44. Der Aſſzmeſchen zu Oldendorff; quæ jam viginti quatuor annos *ulcere crurum madente* vexata fuerat; nunc ſanata eſt.

N°.45. Jürgen Lörenkamp aus Lappelen/ Diœceſios Oſnabrugenſis; qui jam diu *gravi* laborabat *auditu*, nunc facilius & accuratiùs audit.

N°.46. Filia cujuſdam Tonnies Spilkers/ von Dankelſen/ Principatûs Mindenſis; quæ abhinc triennium puerpera, in *dextri lateris Paralyſin* inciderat; eâdem per hanc aquam ſublatâ, priſtinâ gaudet valetudine.

N°.47. Filia JOHANNIS Fiſchers von Riddenhauſen; quæ jam annum ætatis agens vigeſimum, ab ipſâ uſque infantiâ, ſingulis ferè diebus, *Epileptico* paroxyſmo vexari ſolita erat; poſt aquæ hujus uſum hactenùs ab eodem libera obſervatur.

N°.48. Filia cujuſdam CHRISTOPHORI Otten/ Mindenſis; quæ ad ſeptendecim annorum decurſum *Impetigine unius crurum* laborabit; nunc quoque ſanata eſt.

N°.49. Mulier quædam *Mindenſis*, quæ abhinc biennium à paroxyſmo Apoplectico, in *Paralyſin*, ſive *unius crurum* reſolutionem inciderat, hactenùs miſerè vexata; nunc quoque ſanata eſt.

N°.50. Vir

No. 50. Vir quidam *Oſnabrugenſis*, qui octenny ſpatio *Aſthmate* laboravit; nunc ſenatus eſt.

No. 51. *Nobilis* quædam *Virgo*, ex Diœceſi Oſnabrugenſi oriunda; quæ ipſis à teneris annis *gravi* vexata erat *auditu*; nunc facilè & rectè audit.

No. 52. Filius cujuſdam Schild Hermes/ von Jppenburen/ ex Præfecturâ Lingenſi; qui jam per biennium *totus paralyticus* fuerat, adeò ut fulcris axillaribus neceſſariò uteretur: eadem propè Fontem hunc reliquit fulcra, & ſanus domum diſceſſit.

No. 53. Filia cujuſdam Meyer zu Ekken/ex Diœceſi Oſnabrugenſi; quæ præ *ſuffuſionibus* & *oculorum Catarrho*, novem præter propter hebdomadas *oculos* habuit ita affectos, ut *diurnam lucem* ferre minimè poſſet, ſed occluſis quaſi obambularet oculis: nunc ſe bene habet, eo liberata malo.

No. 54. Gerd Witte aus dem Kirſpel Belm/ Diœceſios Oſnabrugenſis; qui circiter triginta annos *magno omnium membrorum cruciatu* vexatus adeò fuerat, ut tandem crura ejus quaſi reſolverentur: nunc utroque à malo liberatus eſt.

No. 55. ADELHEIDA Weſterhues von Braenſche/ Diœceſios Oſnabrugenſis; quæ per quinquennium *circa oculorum exteriora ſcabioſa* fuerat, nunc ſanata eſt.

No. 56. Fi-

N°.56. Filius DIEDRICI Kahlen/ von Fugtrup; qui per ſemiannum *uno oculo minimè videre* poterat, nunc eodem rectè videndi compos factus eſt.

N°.57. ANNA SOPHIA Schammeſche von Raerhorſt / Principatûs Mindenſis; quæ *parum*, tanquam per nebulam, *uno oculo videre* poterat, & *gravi omnium membrorum dolore*, & *ventriculi imbecillitate* laborabat: nunc eorum affectuum nullum ſentit.

N°.58. Trine Witting von Oſterkappeln/ Diœceſios Oſnabrugenſis; quæ per quinquennium vexata fuerat *Vertigine*; nunc ſe bene habere ſentit.

N°.59. Filia nonnullius JOHANNIS CHRISTOPHORI Beyers / von Detmold; quæ abhinc quinquennium circa *fœmoralia* à ſupervoluto curru ita lædebatur, ut indè *paralytica* inferiore corpore fieret; nunc levamine reſolutionis ejuſdem nonnullo fruitur.

N°.60. SUSANNA Krögers/ ex Comitatu Lippienſi; quæ quatuordecim jam annos, à *cruciatu omnium membrorum* gravi tota *paralytica* facta, *Cordis* etiam *dolore* vexata fuerat; nunc ſanata eſt.

N°.61. Többeke Bergmans von der Furſtenaw; cui abhinc ſexennium in Puerperio *reſolutio unius crurum* acciderat, inde uſq; miſerè vexata; nunc ſuam deprædicat ſanitatem.

N°.62. Filius

N°.62. Filius HERMANNI Hagen-hauß/ von Güterſloh; qui per tres menſes *Laſſitudine*, membrorumque debilitate, & *Aſthmatico* Pulmonum affectu miſerè vexatus fuerat; nunc nihil mali ſentit.

N°.63. Filius FRANCISCI Entrup/ p.m. Oſnabrugenſis, annos natus viginti unum; qui ab ipsâ nativitate *neque incedere*, aut progredi; neque *ſtare*, neque *manuum auxilio frui* ullo modo poterat: jammodò ſcipionis unius ope progreditur.

N°. 64. MAGDALENA aus dem Welßhoffe/ quæ jam biennium valdè *intumuerat*, inſuper *dolore* ac *cruciatu* divexata; nunc ſanata eſt.

N .65. MARGARETA Etmuck/ Rhenenſis, Diœceſios Monaſterienſis; quæ ſeptem annos cum dimidio *univerſali* corporis *paralyſi* vexabatur adeò, ut fulcris axillaribus frui neceſſariò deberet: eadem reliquit prope Fontem fulcra.

N°.66. CASPARUS HENRICUS Hoffman/von Lemvör; qui *uno oculo nihil videre* per viginti annos poterat; nunc eodem videt.

N°.67. JOHANNES Overdiek/ von Spenge; qui per undecim annos decurrentes, *ulceroſo* ac *madente* vexabatur *crure*; nunc eodem liber, & ſanatus [illegible]henditur.

N°.68. Filia H[illegible]ANNI Höcker/ von Dieling/ Principatus Mindenſis: quæ jam

 octen-

octennium *omnium membrorum cruciatu* vexabatur; ſanata eſt.

No.69. GERTRUDA Tehmes/ von Stemßhorn/ Principatûs Mindenſis; quæ abhinc quinquennium *Variolis* laborans, incidit in *Paralyſin* ferè *univerſalem*: nunc ſanata eſt.

No. 70. Filius cujuſdam Tahle Roehtmans/ von Bippen/ Diœceſios Oſnabrugenſis; annum agens undecimum; qui à teneris annis uſque *Ani procidentiâ* laboravit; hîc bonæ valetudinis compos factus eſt.

No.71. Grete Albers / von Bippen; quæ jam decennium *Catarrho Capitis, & Cardialgiâ* & *Præcordiorum dolore* laborârat; nunc nullum affectuum eorundem ſentit.

No.72. Uxor cujuſdam WILHELMI Huncken / von Horn/ ex Comitatu Lippienſi; cui abhinc quadriennium in Puerperio membrorum acciderat *Paralyſis*; nunc priſtinæ reddita eſt valetudini.

No. 73. Rolff Gerding von Bramſche/ Diœceſios Oſnabrugenſis; cui præterlapsâ æſtate ex forte accidente *Apoplexiâ*, *Hemiplegia dexteri lateris* remanſit: à dictâ Paralyſi nunc liberatus eſt.

No. 74. & ult. TRINA-MARIA Meyers zu Oldenborchel / Diœceſios Oſnabrugenſis; quæ pe[illegible]ennium cruciata fuit Pertinaci *Cephalæâ* [illegible] nihil ejuſce doloris ſentit.

APPEN-

APPENDIX EPICRITICA.

§ 1. AD hæc Aquæ hujus uſus laudatur catenùs, quatenùs *Clavis* [a] *pedum* eximendis plurimùm valere dicitur. Ut multi exiguo labore iis liberentur. Exceptis iis, qui ſub plantâ pedum, & in plicaturis cutis induratæ obtinent: quorum difficultate, aquæ hujus virtus quodammodò retardata fuit.

[a] *Videlicet Germanis* Lick-dornen *dici ſolitis.*

§ 2. In *ſcorbuticis*, etiam in plurimis aliis humani Corporis affectibus præter-naturalibus, ſui uſum Aqua hæc,& multis quidem brevi temporis ſpatio,egregiè probavit.Ut,quamvis fortè multæ Aquæ *acidulæ*, & *Thermæ*, ſeu Balnea calida (uti decet) laudentur propter eximiam iis præſtitam curationem: nunquàm tamen obſervaverim hiſce ſimilia, aut paria ſanatorum Exempla, non tot ſaltem tam paucarum hebdomadarum intervallo dari.

§ 3. Quamobrem etiam tot ac tam varia ſanatorum exempla non proponuntur à *Bauhino*, ubi admirabilem illum Fontem [b] *Bollenſem* largiter laudat. Sicut nec fit ab aliis Fontium ſcriptoribus, quibus ille vulgò Rapenzawer / Egriſchen-brunn appellatus: item *Spadanus*, *Goppingenſis*, *Macroſualbacenſis*, *Wildungenſis*, *Pirmontanus*, & alii Fontes *acidulam* proferentes aquam, ex inſtituto deſcribuntur. Uti & à quibus *Thermæ* illæ, *Piperinæ*, vulgò Pfeffer-bades / Wiß-bades / Wildes-bades: item *Carolinæ*,

[b] *Videlicet* zu Boll in dem Wirtenbergiſchen' *uti habent verba Autoris.*

Carolinæ, vulgò Carls-bades; Sahlbronnen/ Wolckenſteinſchen/ & Niederbronnen-bades/ &c. enarrantur & explicantur.

§ 4. *Undenam* autem *hæ*, *tam variæ Aquæ ſuas ſortiantur vires*, ſi quis quærat? Varios *Autores* de uno eodemque Fonte ſcribentes, variantem ſuam cujuſque propriam proponere ſententiam videbit, ſi eos conſulat.

§ 5. Quænam verò ea ſint *Mineralia*, quæ hoc noſtro in fonte reperiantur; non potuit hactenùs, tam brevi puta detectionis tempore, inveſtigari rectè, aut juſtè cognoſci. Et licet à varijs, vel Chymico operandi modo eo fine inveſtigatio fiat, non putem tamen ullum ſubſecuturum Autorum conſenſum.

§ 6. Inſuper Hiſtoriæ referunt, quod nonnulli fontes vix detecti ſint, quin *brevi* operari deſinerent: à quibus admirandæ adeò taleſque curationes factæ ſint, ut à multis hodiè (quandoquidem Curationes illæ admirandæ circumſtantijs nullis inveſtitæ, ſed ſinpliciter referuntur) Fabulis aliquâ parte annumerandæ veniant.

§ 7. Et ut Curationum aliquarum duntaxat, exempli loco, mentionem faciam: recens adhùc, arbitror, conſtat memoria ejus, de *Hornhuſano* Fonte datæ literato orbi, hiſtoriæ: quòd inauditâ obſervatâ frequentiâ, *quinquè menſium ſpatio* præter propter *tria* Incurvatorum, Paralyticorum, Surdorum, Mutorum, Podagricorum,

gricorum, &c. hominum *millia* valetudini priſtinæ reddita & ſanata fuerint.

§ 8. Quâ de hiſtoriâ, olim meus Præceptor, D. *Hermannus Conringius, P. P. Helmſtadienſis* (à cujus excellentiſſimi viri latere tunc, anno putà hujus ſeculi XLII. propter ferè ſine exemplo graſſantis Belli incommoda, maximè invitus & ægerrimè divulſus ſum) *judicium* ſuum publicis typis dedit: quod cùm, neſcio quo pacto, deperdiderim, ejuſdem nunc ex voto meminiſſe nequeo.

§ 9. Abhinc decem ſuprà centum annos, ad duorum milliarium diſtantiam ab Hameln/ proſiliit *Fons*, apud quem tanta obſervata fuit Ægrotorum frequentia, ut *numeroſum exercitum* referret. Adeò ut vicini Domini metuerent ſibi, ne hi homines alicujus *invaſionis, inſurrectionis*, & totalis denique *depopulationis* cauſà fortè confluxiſſent.

§ 10. Abhinc ducentos & quadraginta annos, prope Flumen *Albim*, mirificus Fons detectus eſt, quem nominabant Glonach; qui *Pacis* tempore, ad vini generoſiſſimi morem, homines inebriabat; *Belli* verò tempore, ſanguinem prodebat & cineres.

§ 11. Ampliùs. In Meiſſen / in confinijs Helvetiæ valdè mirificus Fons, abhinc quinquaginta duos annos, detectus eſt. Quemadmodùm & alijs in locis alij Fontes detecti, & celebres facti ſunt: quorum hîc

 omnium

omnium diſtinctim meminiſſe, non video cui fuerit bono.

§ 12. Et quid opus eſt, ea quæ Hiſtoriæ, Medicorumque ſcripta jammodò abundanter continent & nobis largiuntur, novâ induere forma, pro noſtris venditare, & eo pacto prolixitati ſervire. Cùm ita agentibus nobis jure meritò oggereretur illud monitorium: *De tuo largire Medice!*

§ 13. Si tamen optare quid liceat, & voti compos fieri poſſem; optarem eruditorum calamum acui adverſus *MEDICINÆ ABUSUM* illum, hodieque apud unumquemque ferè, præſertim apud Empiricos, Agyrtas, Circumforaneos illos errones, alioſque, extra ſui muneris ac ſpartæ oleas, & ut ſutor ultra Crepidam, temerè adeò, contrà quàm dictat propria conſcientia, vagantes.

§ 14. Sed quò me divehunt Aquæ hæ? Tu, *dulciſſime Fons cæleſtis*, evehe nos omnes ex hoc cruciatuum pelago Mundo, ad cœleſtem illum maximè mirificum Fontem, ut ibidem æternùm bibentes, æternùm refocillemur, ac optimè valeamus.

FINIS.

Syllabus

Syllabus Particularis,

PRÆFATIONE

Et

DESCRIPTIONE

ipsâ Fontis ſaluberrimi Bilfeldiani

CONTENTORUM.

IN PRÆFATIONE.

AUtor exordio ſumpto ab inventione Typographicæ artis, eam 1. culpare videtur, ut cauſam licentiæ ſcripturientium. 2. Scribendi & edendi hodiernum increpat abuſum. Sicque 3. animi ſui ſententiâ præmiſsâ, rationem dat præſentis inſtituti, atque benevolentiam Lectoris ambit captatque. *pag.* 35

IPSIUS DESCRIPTIONIS

Articulus I.

Fontis hujus BILFELDIANI detectio, & detectiónis tempus, locus, autor & occaſio; ut & celebritatis incrementum breviter referuntur. Ejuſque aquæ à variis facta Chymica probatio oſtenditur, & quænam ſimplicia eruta fuerint, explicatur. Et DD. *Archiatrorum Brandenburgicorum* judicium petitur. *pag.* 36

Articulus II.

Fontanæ hujus aquæ Qualitates variæ recenſentur; uſuſque ejus diverſimodè probatus oſtenditur. Nominatim hujuſce Fontis ſingulariter redundans ſcaturigo animadvertitur. *p.39*

Articulus III.

Ordo ac ritus Eccleſiaſticus, Aquæ hujus uſui deſtinatus & obſervatus, laudabilis narratur. *p.41*

Articulus IV.

Perverſa Hominum de hâc Aquâ, ut & de aliis remediis obſervata, opinio culpatur; veruſque Medelæ univerſim, & hujus Aquæ particulatim ſumptæ, uſus & utilitas oſtenduntur. *p.42*

Articulus V.

Varia hujus Aquæ in variis corporibus, & variâ de cauſâ facta, operatio recenſetur & explicatur. *p.44*

Articulus VI.

Num Aqua hæc ſimplex, & pura puta ſit habenda; & tales, quales referuntur, nihilominùs ſubſequi indè valeant effectus? quæritur: & utriuſque, tum affirmativæ, tum negativæ veritas examinatur. Et quænam Aquæ ejuſdem ingredientia ac conſtituentia ſimplicia ſint, oſtenditur. *p.45*

Articulus

Articulus VII.

Plus quàm puram putamque AQUAM eſſe, ulteriùs affirmatur, ac confirmatur variis obſervationum argumentis. Ubi aquarum acidularum incommoda recenſentur, huic Aquæ contradiſtinctè. *p.*49

Articulus VIII.

Aquæ hujus utilitas & virtus ex leviſſimo ac leniſſimo corpus afficiendi modo, ut & diutinâ vigoris hujuſce præſervatione, probatur. *p.*53

Articulus IX.

Reſpondetur Objectionibus, ſuperiùs propoſitis: quibus ſcilicet infertur, puram putamque hanc Aquam eſſe; & idcircò de viribus ejus decantata exigui faciendа. *p.*54

Articulus X.

Fontis hujus origo, ac virium ejuſdem derivatio inquiritur. *p.*56

Articulus XI.

Uſuſne aquæ hujus internus externo præferendus, & anne conjungi utrumque oporteat? diſquiritur, & diſtinctim reſpondetur. *p.*58

Articulus XII.

Modus hujus Aquæ in caput, & nervoſum genus agendi definitur; & variæ indè dependentes Curationes diducuntur, & explicantur. *p.*59

Articulus XIII.

Dubio illi: nunc per Autumnum Hyememque, in ſequentem protrahi annum poſſit; & continuò integra ac ſalva perdurare hujus Aquæ virtus? ſatisfit: & Aquarum acidularum differentia aſſignatur & demonſtratur. Et ſubjungitur pium votum, & admonitio condebitæ reverentiæ & gratitudinis erga Deum omnipotentem. *p.61*

Articulus XIV.

Num ejus uſus ad ordinariam Alimentorum præparationem, & aſſumptionem rectè & utiliter trahatur? diſquiritur. *p.63*

Articulus XV.

Methodus aquâ eâ medendi, Pauperibus præſcribitur. *p.64*

Articulus XVI.

Methodus eâdem medendi, Ditioribus præſcribitur. *p.65*

Articulus XVII.

Morbi quinam, & quot curati; quæque in eorundem relatione datâ notanda veniant, explicatè dicitur. *p.67*

Articulus XVIII. *& ult.*

Aquæ hujus virtus præſervativa laudatur;& quibuſnā Affectibus præternaturalibus præcavendis dehinc ſit futura habilis? narratur. *p.* ibid.

NICOLAI

NICOLAI HOBOKENI, L.A.M.

Phil. & Med. Doct. & Profeſſoris

ANIMADVERSIONES,

Ad

PRÆMISSAM

FONTIS BILFELDIANI

DESCRIPTIONEM.

Digitized by Google

NICOLAI HOBOKENI

ANIMADVERSIONES

Ad

PRÆFATIONEM AUTORIS.

§ 1. QUod dicit Autor *Præfationis initio*, veriſſimum eſſe nemo ambigit, qui modò *artis Typographicæ* commoda animadvertit. Dum enim ante ejus inventionem difficili, prolixo, indeque faſtidioſiſſimo labore quæcunque cogitata, concepta, dicta, acta & facta ſcribenda, iterùm atque iterùm deſcribenda & tranſſcribenda veniebant; induſtriæ ſummæ & patientiæ non minoris negotium erat quicquam publicæ dare luci, multorum manibus contrectandum. Ipſâ verò arte laudatiſſimâ inventâ ac probatâ, unicuique facilis adeò exſtitit labor, ut qui antè ne quicquam meditari cogitabant, nunc promptè qualiacunque velint, cogitent, perpendant, congerant, conſcribant, prælo deſtinent; expeditâ operâ pro voto & arbitrio adeò multiplicabilia, ut unum archetypum in millena derivatum ectypa brevi comperiantur.

§ 2. Quod autem addit de *abuſu*, hinc locum capiente. Bonâ cum Autoris veniâ, non magis,

magis, imò longè minùs, culpandam *Typographiam* probat, quàm *Agriculturam*, quòd per hanc vineta tot dentur, ut *Vini* copia anſam det proximam tam turpi ac noxiæ, frequentiſſimè indies obſervabili, Inebriationi. Quinimò ſummæ felicitatis nomine accipiendum eſt, quòd larga adeò cogitata edendi, & edita legendi nobis hodie ſuppetat copia.

§ 3. Et, quamvis *ſcribendi, & ſcripta edendi finis nullus detur*, vel ipſius Regum [a] ſapientiſſimi effato: hoc tamen nihil vetat, quò minùs laudi ducendum arbitrer, quòd ſuum quiſque commodi publici promovendi ergò, luci det; quò necdùm inventa eruantur, & jam inventa & detecta additamento alio atque alio amplientur ac perficiantur.

[a] *Salomon, Eccleſ. cap. ult. v. 12.*

§ 4. Nec unum quem omnia conquirere, perlegere jam edita, aut deinceps edenda, eſt neceſſe. Omnibus enim notum, atque in confeſſo habetur illud Damonis apud *Virgilium*: [b]

—— *Non omnia poſſumus omnes.*

[b] *Virg. Pharmaceutria, ecl. 8. v. 63.*

Delectus ſufficit eorum, quæ ſibi profutura maximè alius atque alius cogitârit: pro Cognitionis humanæ differente partitione, & partitionis variâ Doctrinâ. Ut *Theologus* ea ſibi conquirere ſoleat, quæ fori ſunt ſui: nec ea omnia, ſed quæ ſuæ ſpartæ exornandæ facere ſatis arbitratur. Sic & *Juriſconſultus* ea, quæ ſibi ſuoque ſcopo proximè ſervire videntur.

Medicus

Medicus ea, quæ ſuæ Artis myſterijs addiſcendis, inque uſum vertendis ſufficienter, opinatur inquirenda eſſe. Itemque *Philoſophus*, quæ ſuo penſo peragendo ſubſervire viderit.

§ 5. Et rem ſanè rectâ putare debemus viâ: atque ea, quæ jam *de admirandis Cognitionis humanæ myſterijs edita ſuppetunt*, probè luſtrare. Quod nemo emunctioris naris, & cui liberalis, ſolers & induſtrius datus eſt animus, fecerit; quin mecum non ſcripturientium & ſcripta edentium zelum adeò, quàm Cognitionis humanæ latitudinem & profunditatem inexhauſtam fuerit miratus: & excolendæ ejuſdem, cuique bene nato incumbentem, neceſſitatem agniturus, ut ſua quæque, pro ingenij modulo in lucem mittentium bonas conatus ſit laudaturus.

§ 6. Et, quis quæſo tam anguſti animi, ut credat artem aut ſcientiam adeò omnibus abſolutam numeris,& perfectam à veteribus traditam eſſe, ut aliorum ; præſentis & ſubſequentis ſeculi virorum induſtriæ, & diligentiæ nihil corrigendum, addendum, perficiendum fuerit reliquum? Nemo credo.

§ 7. Et (ne latiùs ad alia me diffundam) quis ſapiens vel in nobiliſſimâ *Medicinâ* noſtrâ non laudabit, & poſt maxima illa *Hippocratis, Dioſcoridis, Galeni, Celſi*, aliorumque veterum nomina, recentiorum non cum ſummâ laude mirabitur editas lucubrationes? Per quas nimirùm

rùm tanta eidem noſtræ arti emolumentorum, locupletationum & perfectionum ſeges obtingit; ut de elegantiâ, claritate, brevitate ac certitudine ejuſdem cum alijs certandi ratio maxima refulgeat.

§ 8. Imprimis hujus noviſſimi ſeculi (quod beatiſſimum jure merito eatenùs dixerit quiſquis dixerit) proximis annis obtingentem, non poſſum ſatis mirari locupletem adeò, tot ac tam utilium Phyſiologicarum, Pathologicarum, Pharmaceuticarum, [a] Curatoriarumque obſervationum & enucleationum proventum. Quem ſi quis rectè intuetur, nefas dixerit, Medicorum quemquam ſine ijs, & extra eadem inventa & additamenta, *ex voto uti fruique jam antè editis Eruditorum* ſcriptis.

a Videſ. Præfat. Joan. Zwelferi ad Appendicem ad Animadverſiones in Pharmacopœiam Auguſtanam.

§ 9. Et probant non ſimpliciter, ſed firmiſſimè quod dico, demonſtrant vel ea, quæ noviſſima nobis ſuppeditat *Ars-Anatomica*. Quæ quàm jejuna veteribus fuerit, quis rerum gnarus non videt, non agnoſcit? Hodiè verò tantum correcta, reformataque, ut novam ferè eſſe aſſerueris. Per hanc enim, præter nobiliſſimum *ſanguinis, Harvejo* adſcriptum, *Circulum*, nunc receptiſſimum: detectus eſt uſus ille *Glandularum* inſignis, auctus deinceps & correctus. Detectus quoque & demonſtratus ſatis ſuperque ductus ille nobiliſſimus *Chyliferus*, cum *vaſis lymphaticis*. Detecta & aſſerta nunc cognoſcitur *Secrementorum* & *Excrementorum*

iorum varia, ac notabiliter adeò differens natura; uſuſque eo pacto *Salivæ*, *ductuumque* ejus *ſalivalium* appellatorum. Et uſus genuinus *Bilis*, *ſucci Pancreatici*, *Chyli*, *ſucci nervei*, *Sanguinis*; ipſius *Cordis*, *Hepatis*, *Lienis*, *Cerebri*. Et quæ plura (ea autem innumera quidem ſunt) indies ingenio, induſtriâ ſingulari, ac laboris ſedulitâte è tenebris in lucem trahuntur: quæ, ut & à quibuſnam inventa, correcta, locupletata ac perfecta ſint, non patitur præſens inſtitutum me enarrare.

§ 10. Ubertim videre licet cuilibet paſſim in CL. *Bartholini*, *Veſlingij*, *Carteſij*, *Harveji*, *Fortunij Liceti*, *Conringij*, *Horſtij*, *Highmori*, *Whartoni*, *Walæi*, *Plempij*, *Gliſſonij*, *Regij*, *Lindani*, *Deleboë Sylvij*, *Hornij*, *Bilſij*, *Charletoni*, *Williſij*, *Deuſingij*, *Schneideri*, *Velthuſij*, *Everardij*, *Rudbekij*, *Hemſterhuſij*, *Stenonij*, *De Graaſij*, *Ruijſchij*, aliorumque hiſtorijs, diſſertationibus, animadverſionibus, obſervationibus & epiſtolis Anatomicis. Et ordinatim certè, ac collectim, in Commentarijs & Animadverſionibus CL. D. *Ger. Blaſij*, ad laudatum *Veſlingium*, noviſſimâ editione auctis. Et quicquid horum omniū honori debetur, optimè ſanè enarrabit meus Præceptor plurimùm ſemper honorandus, CL. D. *Iſbr. de Diemerbroek*, in ſuâ, quæ prælo jam dudum dicata eſt, *Anatomiâ*.

§ 11. Ut idcircò ab aliorum ego ſtem parte, qui nôrunt & agnoſcunt illud Poëtæ:

Multa dies variuſque labor mutabilis ævi
Rettulit in melius. Non omnia grandior ætas,
Nos quæ ſcimus, habet. Seris venit uſus ab annis.

§ 12. Et eo nomine Autorem noſtrum experientiſſimum optimè motum oportuit, ut ea, quæ de eruto noviſſimè FONTE BILFELDIANO, ejuſque *naturâ*, *uſu* & *effectis* obſervata & cognita mente gerebat, publicæ literatorum pariter ac illiteratorum rei daret, liberaliter expromeret,& ingenuè diduceret atque enuclearet. Hoc enim Profeſſio ejus in cæteris ſuadet, imò vult & jubet.

§ 13. Sed quonam omine, ac proceſſûs felicitate id agat; pro eâ libertate, quam (utpotè cum alijs τοῖς τῆς σοφίας φίλοις communem) ingenuè & conſtanter mihi, liberè & liberaliter nato, vindico, his illiſque pauculis animadverſionibus oſtendere nunc conabor.

AD IPSAM

AD IPSAM FONTIS DESCRIPTIONEM.

EJUSQUE

ARTICULUM I.

§ 1. AD *Detectionis* quidem *tempus* nihil obvenit animadvertendum: niſi quòd Autor hîc indefinitè, *initio Julij* hujus anni, Fontem aſſerat detectum eſſe. Qui quidem dies alibi (uti videre licebit ex Inſcriptione ſubjunctæ his *Seriei Morborum curatorum*, & *Formulæ Precum ſolennium*), ad IV. *Julij ſt. n.* quem 2. *Trinitatis* vocant, incidiſſe refertur. Et quânam mente, ſatis ex ijs quæ § 2,3, & 4. diducuntur, colligere licet. Ut *detectio* nulla alia hîc intelligenda videatur, quàm quòd *uſus ejus medicus* non ante *Julij* IV. *diem* dictum innotuerit; & *modo, occaſione* atque *autore*, § 3, & 4. indicatis.

§ 2. Et ratione *Loci*, in quo Fons datur, notare licet: quòd ſit planities ampla, inſtar vallis montibus circumſcripta: in quâ præ amœnitate & fertilitate, Horti & viridaria præter & juxta campos ac prata ſummè laudata habentur. Prope illam ſcilicet urbem, in Comitatu *Ravenſbergenſi*, qui ſereniſſ. Principem Brandenburgicum Dominum agnoſcit,

ſitam: quæ jam permultis ab annis alio atque alio Manifecturæ genere inclareſcit; nominatim *Linteaminbus* (indeque noſtratibus familiare, BYLEVELTS LINNEN, aut DOEK, &c.) ibidem luculenter & laudabiliter parari hactenùs ſolitis. Cui nomen noſtratibus vulgare BYLEVELT, Germanis BILFELT, hinc Latinis BILFELTIA, aut BILFELDIA. Atque quinque ferè Germanicis milliaribus cum dimidio *Warendorpiâ*, octo cum dimidio *Teclaburgo*, milliaribus ferè quatuor *Rhedâ*, quinque *Saſſenbergâ*; atque tredecim præter propter milliarium itinere hinc *Steinfurto* diſtat.

§ 3. Inſuper ad circumſtantias *ſtructuræ* ipſius Fontis, quod attinet: obſervo eum ad inordinatum cœtûs confluxum arcendum contignatione rudi circumcinctum ac concluſum; & tegumento ſuperſtructo ligneo, ab injurijs cæli immunem ſervari ac vindicari. Ipſamque ſcaturiginem duobus, ad tranſitui ac circuitioni parem diſtantiam terræ impoſitis *Dolijs*, intercipi & cohiberi adeò, ut ex uno de vaſe in vas divehendam quaquaverſum, aquam exhauriant; ex altero illic loci ritè bibendam expromant. Quemadmodùm, à me concinnata taliter qualiter, refert præfixa tabella.

§ 4. Et quantum ad § 6, 7, & 8. memoratum Aquæ *examen*: uſitatus certè & conveniens probandi & examinandi modus eſt ipſa

relata

relata *Decoctio.* Per quam tamen, fateor, non tam *ſpirituoſitatem* obſervare, quàm *materialitatem craſſiorum* ingredientium eruere atque contemplari, & facilè ſatis, licet: confirmante id ſuo exemplo, præter alios experientiſſ. viro *Georg. Bolmanno*, in Pirmontanâ aquâ examinandâ & probandâ. Videſis *Deſcriptionis Fontis Pirmontani, Cap.* IV. *p.* 24. Itemque eruditiſſimi, & ſummè induſtrij *Athanaſij Kircheri*, noviſſimè luci datum conſule, *Mundum ſubterraneum*, *lib.* V. *ſect.* II. *cap.* IV. *fin. & experim.* I. *pag. Tom.* I. 252. [b]

§ 5. Et eâ quoque viâ ego iterùm atque iterùm aquam eam, aliam atque aliam ſucceſſivè miſſam decoxi, examinavi: ſimiliterque poſt omnem evaporationem, reliquum deprehendi *albicantem*, *valdè ramoſum*, partem juxta maximam, minorem verò *aculeatum ac inſtar tenuiſſimæ ac rariſſimæ nivis ad ſolis radios coruſcantem*, *Pulverem*.

§ 6. Atque attentiore etiam atque etiam intuitione ac guſtatione factâ; deprehendi modò majorem, modò minorem *aculeatarum* ac *coruſcantium* particularum admiſtam copiam. Et ipſius totius pulveris *colorem*, modò magis, modò minùs *albicantem*, plerumque *cinereum*. Et *Saporem*, modò magis, modò minùs *ſalſum* & *acrem*; modò parùm aut nihil, modò plùs & ſatis ſenſibiliter *ſubacido-ſalſum* comperire mihi, juxta cum alijs rei chymicæ gnaris licuit.

§ 7. Quæ quidem viciſſitudo ac variatio cuinam cauſæ tribuenda veniat; an *tempeſtatis viciſſitudini*: an peculiari *portionis* illius *aquæ* (quippe quæ concluſis & obſignatis poculis duntaxat mihi conceſſa; & modò juxta hanc, ſuperiorem; modò juxta illam, fundo poculi propiorem partem decocta fuit), undè decoctione aſſervatus pulvis hic aut ille fuit, *conditioni* ac *mixturæ*, ſeu contemperationi? an verò *Decoctionis modo*, remiſſiori ſupple ſuppoſiti ignis calori, & lentiori coctioni; an intenſiori calori, & celeriori coctioni? dubium eſt. Nullam ſaltem ego video repugnantiam, quin tribus his à cauſis dependere queat.

§ 8. Et ulteriore factâ anatome, mixturæ ratus ſum maximam partem, & tanquam baſin eſſe terram quam friabilitate coloreque ei ſimilem, ex quâ fiſtulæ finguntur Tabacariæ; aut *Tuthiæ* officinarũ præparatæ. Et huic admiſtas coruſcantes particulas eſſe *Salis plumbi*, quem *Saturnum* Chymicorum filij nominant, majore; & *Nitri* minore portione, de ſtatu volatilitatis ad ſtatum fixitatis per Decoctionis alterationem traductas: accedente aliquantillâ *Tartari* & *Vitrioli* portione, difficillimè dignoſcibili.

§ 9. Et per conſequens non putem me falli, ſi aſſeruerim ibidem loci ſeminium quaſi, & rudimenta *Plumbi*, inſigni copiâ prædominari; quibus etiam ad majorem virtutem accedant *Nitrum*, *Tartarum* ac *Vitriolum*, terreis particulis

culis probè commiſta.

§ 10. Et id Experientiâ teſte (ex effectis puta hujus aquæ, ijs quæ *Plumbo* adſcribuntur, conſimilibus deſumpto argumento) probari poteſt per ea, quæ experientiſſ. & doctiſſ. vir, *Jacob. Theodor. Tabernæmontanus*, in ſuo *Aquarum Fontiumque Theſauro, Part.* II. *lib.* I. *cap.* 53, *&* 54. *de aquis plumbarijs* (viz: von Bley-waſſer / und von Bleyertz waſſer) largiter ſcribit. Ut & *Lud.* von Hörnigk / *Jur. & Med.* D. *in ſuâ deſcriptione Fontium acidulorum Macroſualbacenſium, quæſt.* V. *pag.* 45, 46. *&* 48. Et hîc quoque præ cæteris nominandus, eruditiſſimus *Kircherus Mundi ſubterranei cit. tom.* I. *lib.* V. *ſect.* II. *cap.* 3. § 3, *&* 4. *pag.* 248. [b] Et per ea, quæ de *Salis ſaturni Nitri*, & *Tartari*, ut & *Vitrioli* virtute Chymicorum paſſim deprædicant filii. Quem admodùm & in ſequentibus ampliùs animadvertendum erit. Interim conduxerit reſpexiſſe ea, quæ laudatus *Kircherus* habet, *Mundi ſubterranei cit. lib.* 3. *ſect.* III. *cap.* 3. *corollar. nominatim* 2. *&* 3. *p. tom.* I. 163. *a. b.*

AD ARTICULUM II.

§ 1. QUæ Autor § 1. dicit, veriſſima eſſe ipſemet deprehendo. Et oculatis teſtimonijs confirmatur, *claram* ac *pellucidam* & in fonte, & extra eum eſſe aquam; ut nulla Cryſtallo conſimilior videatur poſſe dari.

§ 2. Et *ſapor* ejuſdem, fateor, gratiam ſecum fert non exiguam. Imò vel liberaliore hauſtu à me aſſumptam, moleſtam eatenùs non comperi. Atque dum pitiſſando eandem deglutirem, in fine guſtationis (uti & Autor ſequente § 5. refert) nonnulla animadvertebatur *dulcedo*; ferè ſimilis ei, quem in *Saliva* ſanorum guſtatione attentâ adinvenimus quotidiè.

§ 3. Quantum verò ad *Pinguedinis* dignotionem; eam non adeò clarè potui obſervare, quàm quidem audio ex alijs, qui Balneatione eandem bene ſe obſervâſſe narrant. Probabile quidem ſatis eſt, propter huic aquæ *cit. lib.* 3. *ſect.* III. *cap.* 3. *corollar. nominatim* 2. & 3. *p. tom.* I. 163. *a. b.* Et *lib.*6. *ſect.*1. *cap.* 3. *p.* 297. & *ſeq.* Inſuper *cit. lib.* 6. *ſect.*II. *cap.*3. *Tom.*1. *p.* 307. & *ſeqq. atque lib.c. ſ.* IV. *cap.*3. *p.* 321. & *ſeq.* admiſtas terreas dictas particulas friabiles, *Margam* (uti *Artic.* 1. § 2. Autor habet), ſeu argillam ſpiſſiorem denſioremque referentes.

§ 4. Et ad *Frigus* ejus *actuale* (§ 7. memoratum) quod facit: non poſſum etiam illud tantum obſervare, ut brevi *Ventriculo intemperiem* apportet *frigidam*. Anne verò *diutino, continuo & immoderato uſu*, dubito valdequàm; propter aquoſitatis (ſine quâ Aqua certè non magis eſſe poteſt, quàm Aër ſine particulis aëreis) maximam ad ejus compoſitionem concurrentem portionem.

§ 5. *Va-*

§ 5. *Variare* autem valdè, audio ejus *recenter* hauſtæ frigus, ab eo quod ſentitur in eâ aquâ jam *per noctem* in vaſe, licet arctiſſimè clauſo, *aſſervatâ.* Inſuper adeò variare pro cœli temperie, narrant plures; ut pluvioſo, nebuloſo, aut turbato cœlo vel è fontę immediatè hauſta, & in manus deſtillans, referat Frigus ſenſibile ſatis; eodem verò placido, ſereno ac calidiore exiſtente, adeò exiguum ad tactum deprehendatur frigus, ut *tepiditati* proximum aſſerant. Ut exindè judicium de *Ventriculi affectione* variare oporteat: ſicuti fortè infrà pluribus deducendum erit.

§ 6. Quæ porrò Autor habet *in fine* § 2. videntur ferè contrariari ijs, quæ dicit § 4. *Art.* IV. Si enim *integræ familiæ ſine ſuo nocumento aquam hanc fontanam uſurpent*: quid periculi itaque alijs, quibus obtingit par ratio, & indè par atque æquale Jus? Niſi ſit differentia conſideranda ratione *Modi* aſſumendi & uſurpandi. Sed hâc de re infrà forſan pluribus.

§ 7. Quæ de *uſu* tum *interno*, tum *externo* dicit § 3. rectiùs perpendere licebit inferiùs, nominatim *ad Articulum XI.* Sed quæ de *Copiâ* tam ingenti, hauriri quotidiè ſolitâ, narrat, facilè credit, quicunque rerum novarum, homini cognatiſſimam, cupidinem & ſuperſtitioſi vulgi inſolentiam novit.

§ 8. Et quòd § 4. dicat Autor, non paucos *mirari, & hæſitare* circa *uberem* illum *Aquæ hu-*

jus proventum. &c. etiam fateor lubens. Atque aſſero admirationem majorem apud vulgus (utpotè inexpertum, ac omnium extra ordinem & inſolitò contingentium majorem, quàm par eſt, rationem habere ſolitum) mereri, quàmquidem apud alios rerum talium gnaros unquàm mereri potuit. Quoniam hi ex legibus ferè Mechanicis, & in ſpecie ex *Motûs gravium ac fluidorum* tenore indies diſcunt, ac docent hæc ita fieri; & quomodo.

§ 9. Referunt autem operarij illi viri duo, ſe unius diei ſpatio tantum aquæ hauſiſſe, quantum *centum*, ſi non ultra, Dolia majora, quæ Germani Fudern & noſtrates VOEDERS vulgò appellant, repleviſſent. Sed quamdiu hoc fieri potuerit, dies ſubſequens docebit.

AD ARTICULUM III.

§ 1. QUæ dein autor refert de *ordine* ac *ritu* circa huius aquæ uſum *Eccleſiaſtico*: adeò laudo, ut maximè laudem: atque optem omnibus exemplo, & imitamini haberi. Sed tantum abeſt, ut ſimile ubique obtineat; ut probè ſciam turpiſſimæ Libidinis ferè ſentinam nonnullis in locis haberi.

§ 2. Fit autem hæc divini nominis invocatio, ac celebratio ſub dio, propè Fontem; Anteceſſore & V. D. Miniſtro pedes duos aut tres alto, ex ceſpitibus collectis, & ſibi mutuò impoſitis parato cumulo inſiſtente: uti

uti quodammodò memorata commonſtrat Tabella.

§ 3. Et ut cunctis, quæ at qualiſnam hîc fiat *precatio*, innoteſceret; operæ pretium duxi ejuſdem *Formulam* hiſce ſubnectere. Authenticâ quidem linguâ, ne ſcilicet Germanæ quid detraherem gratiæ, ipſaque autoris (qualiſcunque ſit) verba ſuo nitore gauderent.

AD ARTICULUM IV.

§ 1. QUod Autor hîc refert & aſſerit, obſervant aſſeruntque quotquot de alijs Aquis, Fontibus, Thermis, Balneiſve ſcribunt. Et (ut uno, inſtar omnium, utar exemplo) non poſſum ſatis laudare verba ſuprà citati *Bolmanni*, Dedicationis ſuæ, Deſcriptioni Pirmontanæ aquæ præfixæ, circa medium. Ubi juxta mentem Autoris noſtri apertè dicit, quod ſit ſtolidus error vulgi, æſtimantis, ex unius alteriuſve curatione ac ſanatione, omnem ac indifferentem morborum curationem.

§ 2. Hoc conſtat omninò indubitanter omnibus, queîs ſana data eſt mens: quòd *Medicamenti* formalis ratio, atque eſſentia in eo conſiſtat, quòd Morbo, ſi non ſemper tollendo, ſaltem corrigendo ſerviat. Eâ quidem ratione, ut continuò ac indeſinenter *proportio* ſervetur, & *habitudo* interMedicamentum idem & morbum tollendum; inter ſcopum Medicamenti, & circumſtantias ſcopo ancillantes. Ut fruſtrà

laboret,

laboret, quiſquis medicinam, qualemcunque etiam, facit; ſi non rectè, convenienterque faciat, præbeat applicetque.

§ 3. Et quantùm ad *Cacodæmone obſeſſos*, quibus ſanandis impares exiſtere aquæ hujus vires § 1. aſſerit Autor: ita verum eſſe quilibet mecum dixerit, qui *Obſeſſionem* capit & intelligit. Ut, quamvis curationis omnis talis ſit [a] cauſa, ut univerſaliter omnes qualeſcunque curet morbos Deus (nam uti aliàs, ſic,

a Vid. ſ. D. Beckeri epiſt. dedicatoriam, Deſcript. Cultrivori pruſſiaci præfixam.

Hîc niſi te adjûrit, vireſque afflaverit undis,

Nec te fons præſens, nec ſiloë ipſa juvat): tamen peculiare quoppiam & proprium in *obſeſſorùm* eorundem ſanatione obſervetur. Ut à *ſingulari* divinâ gratiâ, nullo alioquin corporeo aut corporali remedio vel medicamine (propterea quòd habitudo, aut proportio detur nulla inter ſpiritum illum, Cacodæmonem pellendum & remedium corporeum) ſanabile malum iſtud immediatè dependeat.

§ 4. Quantùm verò ad *Maniacos, Deliros, Phthiſicos, Hydropicos, Mutos* & *ſurdos* (quorum meminit Autor § 2.): alia eſt ratio, & tanta differentia iiſdem cum obſeſſis intercedit, ut horum mala corpus proximè tangant & corporeo medicamine, poſitis ponendis, levari poſſint, & non raro leventur. Anne verò hôc aliove Fonte? quærere licet, & inferiùs controvertitur pleniùs. Ut notanda hæc (cum iis,

quæ

quæ refert Autor § 4.) ac reſervanda veniant, quouſque videamus quid de ſequentibus judicandum ſit.

§ 5. Et quod ad *Cultrivorum* illum *Pruſſiacum*: ejus hiſtoriam plenè deſcriptam, publicis typis credidit *Daniel Beckerus* Dantiſcanus, Med, Profeſſ. in Acad. Regiom. tertiò editam *Lugd. Batavorum, ex officina Joannis Maire, an°. hujus ſeculi XL. in minori* 8. Ad quam Lectorem adeò remitto, ut laboris ei legendæ impenſi nunquam pœnituerit.

§ 6. *Cauſam* autem hujus erroris altricem rectè aſſerit Autor, eſſe eos, qui ſpecie ac titulo Medici ſæpè ſe ingerunt animis imperitorum hominum adeò, ut & ſibi, & queîs conſulunt, dedecus ac ignominiam tandem pariant haud exiguam.

§ 7. Cùm autem hæc Autoris verba nonnulli referrem: reſpondebatur Autorem haberi practicum valdè anxium & meticulóſum; ut cum ægro conſulendum foret, integrum diem, imò biduum ſæpe, poſceret conſilio formando. Ego contrà: non infrequens hoc aliis quoque magnis Medicis eſſe, & minimè illud malam in partem trahi poſſe; cùm præſtet non, quàm malè mederi. Et ſuſpicabar illud telum ex non ſatis prudentis; imò temerarij hominis pharetrâ prodire: cui oggererem illud vulgatum:

Quicquid agas, prudenter agas; & reſpice finem!

Atque

Atque putem, per tales audaculos plurimùm ſtare, quò minùs illa Arti noſtræ nobiliſſimæ condebita gloria refulgeat.

AD ARTICULUM V.

§ 1. PORrò quod dicit Autor § 1. omnibus ferè fontanis aquis commune eſt. Nec admiratione dignum eſt; cùm omnis liquor, imò vel *vulgaris aqua* magnâ copiâ hauſta, *urinam movere* aſſoleat. Adeò ut in *ſtranguriâ* rectè conſultam habeam, ſi æger jejunus puriſſimæ aquæ Medicam *libram unam* unico hauſtu aſſumat, paucâ ſubjunctâ corporis motione.

§ 2. Et quod dicit § 3. de *Alvi ſolutione*, dum univerſale non eſt, nihil confert laudis huic aquæ propriæ. Et *univerſale non eſſe*, probant non pauca exempla, quibus alvi nata fuit *obſtructio*.

§ 3. Adeò ut totum *digeſtionis* ac *ſolutionis* negotium hîc dependeat à conſtitutione, ac *temperie* aliâ atque aliâ *Ventriculi*, & *Inteſtinorum*, juxta Secretionis & Excretionis ſolennes leges, & ritus.

§ 4. Et quod refert Autor § 4. de *ſpleneticorum Excrementis alvinis*: nullam parere poteſt indicationem, aut judicij certitudinem, antequàm conſtat hoc pluribus obtingere. *Una* enim *hirundo* (ut vetus loquitur adagium) *non facit Ver*. Potuit enim id obtingere uni alterive, propter longo tempore ad ſtrictam alvum,

alimenti

alimenti etiam, antè aſſumpti reſpondentem rationem. Etiam Bilis ſuccive Pancreatici anomaliam. Videſis, quæ habet experientiſſ. D. *Henr. ab Heer*, Phil. & Med. D. *ſpadacren. ſeu deſcriptionis fontis ſpadani cap.* XIV. *p.* 118. 119.

§ 5. Idque eò magis aſſero, quia de *Spleneticorum* incommodo variè adeò hodiè controvertitur, ut ſub judice etiamnùm lis ſit. Videbo in meis, quas meditor, diſquiſitionibus Pathologicis rectiùs definiendum, quidnam fuerit.

§ 6. Et quæ ad finem § 4. ſubnectit Autor, retinenda bene ſunt, & ſervanda reſponſioni infrà dandæ, ubi hujus aquæ virtus cum *Acidularum* eâ confertur.

§ 7. Quantùm autem ad illam § 5. relatam attinet Corporis *incaleſcentiam*: ea cùm aliundè dependere poſſit, ac deduci, nullam infert conſequentiam firmam certamque; eam ſcilicet ab aquæ hujus facto hauſtu propriè ac neceſſariò fieri. Solet autem pendere, ac deduci proximè à corporis motu & *agitatione*. Etiam à corporis eâ conſtitutione, quam *Laſsitudinem*, & tum à plethorâ purâ, tum à nothâ cacochymicâ, oriundum, *Languorum* appellant. Ad quam ſi vel modica accediat corporis commotio, extemplò totum *incaleſcat* corpus, & *ſudor provocetur*.

AD ARTICULUM VI.

§ 1. HUjus § 2. propoſitæ quæſtionis prius membrum, *num aqua hæc fontana pura puta ſit?* non poteſt obtinere, niſi apud rudem, & ignorantem, ſaltem apud omnem eum, qui nullum inſtituit ejuſdem examen, jure inſtituendum.

§ 2. Hujuſque meæ ſententiæ veritatem probant, quæ jam ſuperiùs de *Pulvere*, a Decoctione hujus remanente, deprehenſo atque examinato aſſerui.

§ 3. Et ad alterum quod facit dictæ Quæſtionis membrum: *num ſi vel pura putaque aqua foret, nihilominùs recenſiti ad calcem effectus ſequi valeant?* Putem negationem ſimplicem quærenti ſatisfacere. Quis enim tam ſtolidus eſt, qui ab omni qualicunque & indifferenter ſumptâ causâ, idem atque æquale effectum poſſe manare arbitretur? Dum autem inſtituti examinis, & probationis experientiâ conſtat, magnam hujus à vulgari purâ putâque aquâ differentiam obtinere; quis affirmabit parès & æquales effectus nihilominùs ſequi & ab hâc, & ab illâ poſſe?

§ 4. Quamvis enim *acidula* verè non eſt, nihilominùs tamen noſtra procedit ſententia; puta quòd ſingulares huic aquæ virtutes tribuendæ veniant. Propterea, quòd *gradu* ferè Bilfeldiana hæc ab acidulis differre deprehendatur.

datur. Nimirùm, quia hæc illave ſemina, aut rudimenta efficacioris vehementioriſve metalli; aut, quæ ei vicina ac ſocia eſſe ſolent, ſucci hujus illiuſve elementa noſtræ deficiunt, in Acidulis copioſè obtinentia: Quemadmodùm & infrà explicatiùs forſan ſum animadverſurus.

§ 5. Et quæ § 4. oggeruntur, fateor, ſi conjunctim omnia, & *collectivè* accipiantur: tanta eſt eorundem probabilitas, ut aſſerere nunquàm deſinam, ſi recta uſualiū *Medicamentorum* habeatur ratio, animique & corporis *Diæta* rectè inſtituatur, ſi non meliùs tutiùſve, ſaltem æqualiter recuperari poſſe & obtineri valetudinem priſtinam: quemadmodùm in ſequentibus fortè latiùs.

§ 6. Si verò ſingulatim & *diſtributivè* hæc illave curatoria ſumatur & conſideretur cauſa: nihil vaniùs affirmârim, quàm indè curationis elicere velle conſequentiam. Propter communem omnibus nexum, commune curationis commercium, alibi prolixiùs diducendum.

§ 7. Et certè nulla eſt ea conſequentia, quæ indè colligitur, quòd fortè *calida intemperies* Hepatis, Lienis, Cordis, Sanguiniſve univerſi per *aquæ puræ putæque* ordinariam *refrigerationem* temperetur. Indè enim minimè ſequitur, quòd hæc *Bilfeldiana* aqua *pura putaque* ſit: aut ea omnia effici per eandem poſſint, ſi vel pura

H putaque

putaque aqua foret. Haud ſecus ac ex ſingulari uno alterove univerſale nunquàm concludi poteſt. Quemadmodùm & Autor ſequente *Artic.* IX. § 3. probare nititur.

§ 8. Et ad *Imaginationem* quod facit: eam dum attentiùs perluſtro, non poſſum tantam adinvenire ejus efficaciam, quantam à Philoſophorum quidem & Hiſtoricorum multis cum vulgo adſcribi video. Nec quiſquam adinvenire poterit, qui Mentis humanæ cum corpore conjunctionem, & mutuum utriuſque commercium rectè perluſtraverit, & notaverit.

§ 9. Et mihi etiam, cum Autore non placet hîc prolixitatis ſtudium; multaque ſcopum directè non tangentia pertractare nolo. Verbo enim ſatisfieri poſſe autumem; maximè cùm alibi convenientiùs hâc de re agam. [a] Quantum enim ad hoc negotium: ab Imaginatione *curationem* talem expectare minimè licet, qualem Autor *Articuli* memorati § 4. innuit, & ad finem ſuæ deſcriptionis prolixè recenſet. Quod etiam eò magis curioſo cuilibet conſtabit, ſi ea, quæ CL. *Thomas Fienus*, Antwerpianus, ſingulari de *Imaginationis viribus* tractatu [b] liberaliter & accuratè tradit, obſerventur ac juſtè perpendantur.

[a] *Viz: Inſtitutionum mearum Medicar. ſubſ.* 3. *cap.* 2. *part.* 2. *art.* 1. *capit.* 3. *punct.* 2. *n.* 6.

[b] *Nominatim quæſtione* X. & XI. *pag. mihi* 179. & *ſeqq. ut* & *p.* 191. & *ſeqq.*

§ 10. Objectioni autem illi ab *inventionis tempore* deſumptæ, occurrit bene, & ſatisfacit Autor *Artic. ejuſdem* IX. §. 5.

§ 11. Et ad *Pulverem* à Decoctione remanen-

nentem, quæ ſit, objectionem quod tangit: eam nititur tollere Autor ad *Artic. ejuſdem finem*: junctim conſideratis ijs, quas hîc § 7, 8, & 9. uti & quas *Articulo* vij. *&* viij. *paſſim* allegat, obſervationibus.

§ 12. Ad quæ mox; quidnam reſpondendum mihi videatur, dicam. Notandum autem 1. Quòd *Calci ſimilis pulvis omnibus Bilſeldianis aquis reperiatur.*

2. Quòd Autor ipſe *experiatur, eaſdem aquas præ cæteris Calculo, Arthritidi, in ſpecie Podagræ, & alijs* TARTAREIS MORBIS *viam ac aditum parare: adeò ut ijſdem morbis excruciati minimè Bilſeldienſibus deſint.*

§ 13. Quantum autem ad *originem pulveris* hujus, inque aquas Bilſeldianas derivationem, *hîc* § 6. allegatam: eam inferiùs examinat Autor, & convenientiùs quoque mea quæ ſit ſententia, ibi eloquar.

§ 14. Et quod ad § 7. non poſſum intelligere, quomodò Autor, *præter* SALEM NITROSUM, *& aliorum inſuper commiſtorum Mineralium portionem*, SPIRITUOSAM *quandam ineſſe ſuſpicetur* SUBSTANTIAM? Cùm clarè conſtet eam ipſammet ſubſtantiam hîc *ſpirituoſam* eſſe oportere, quæ *ſale* potiſſimam partem *nitroſo* conſtituitur; eo ſcilicet contemperationis gradu, qui *volatilitati & activitati*, § 8. per experientiam ab Autore monſtratæ, & ratione ſatis clarâ confirmatæ,

par eſſe poſſit. Comprobantibus id iis, quas Autor § 9. & 11. ſubjungit, *Nitri* qualitatibus: indeque deductis § 12, 13, 14, & 15, Aquæ hujus operationibus & effectis. Quinimò ex ipſâ conſtare oportet *ſalis* copiâ, in laudatâ Cereviſiâ *Mindanâ* obſervari ſolitâ.

§ 15. Quantùm autem ad Pulveri memorato adſcriptam *Acrimoniam*: eam ſcire oportet juxta elementorum conſtituentium ſuprà traditam mixturam, potiſſimam partem *ſali nitroſo*, minorem verò partem *Vitriolo* ac *Tartaro* acceptam referendam eſſe: quemadmodùm quodlibet tenellum palatum accuratâ ſenſatione, ex *ſubaciditate*, in eo ſatis obſervabili, mecum poteſt colligere.

§ 16. Sed ad D. *Helmontium* quod attinet: rectè Autor ejus *terminos* hîc neglexit, & tempori eo pacto utiliter pepercit: cùm & ipſe adeò obſcuros atque affectatos eoſdem deprehendam, ut ingenium quidem ejus in plurimis, ſed & vanitatem ejuſdem in multis ad ſtuporem uſque obſervem. Et quid opus alîus imitari verba, cùm ex Philoſophicâ libertate, ille conveniat ſtylus, qui clarus ac ſuccinctus; illi optimi termini, qui evidenter rem ſignant, & ſignatam Menti monſtrant, & intelligendam præbent: ſive ſint *Helmontij*, ſive *Carteſij*; ſive veteris, ſive recentioris cujuſcunque alius; majoris minoriſve nominis viri.

§ 17. Et quantum ad ea, quæ Autor ad

§ 15.

§ 15. finem, dicit: *alioquin incredibile ipſi videri, quòd tales aliàs INSANABILES, Morbi eâ curari optatò poſſint.* 1. Vulgarem animadverto circa *Morborum inſanabilium* acceptionem, errorem. Non ij enim omnes morbi inſanabiles ſunt, qui vulgò tales, propter curationis difficultatem, habentur: quemadmodùm & infrà pluribus interpretabor.

2. Cum bonâ Autoris pace, dico, incredibile mihi videri, quòd *inſanabiles* hâc aquâ morbi optatò curentur, ſeu ſanentur. Propterea quòd hujus aliarumque memoratarum aquarum, quas *Medicinales* idcircò diſcriminatim Phyſiologi appellant, atque omnium qualiumcunque remediorum, ac ſpeciatim medicamentorum artificialium par & conſimillima ratio eatenùs detur, quatenus ſuas cujuſque vires obſervamus ex Naturæ lege, non ſupra eandem, aut extra ejus ordinem iiſdem competere: uti inferiùs quoque, ſed ex profeſſo in meis *Curatorijs inſtitutionibus* animadvertam & explicabo.

AD ARTICULUM VII.

§ 1. Hic ad ea, quæ § 1, 2, 3, 4, & 5. allegantur Experimenta, & quæ indè eliciuntur, rationes nihil dicam; niſi quòd imprimis laudem Autoris accuratam obſervationem.

§ 2. Deinceps, quòd ſanâ ratione *felicem*

vaccarum, *Porcorum*, *equorumque* illam *Paſtionem* ſuſpicer, & *Aquæ* præterfluenti, & per hos illoſve cavernoſos ductus perluenti: & ſpeciatim *ſpeciali terræ conſtitutioni* acceptam ferendam eſſe. *Temperiei* ſaltem *aquæ bonæ* quantum debeatur, quotidiana Agriculturæ docet Experientia. Et in Nutritionis ac Vivificationis negotio quid ſalutare magis eſt, quàm juſtè temperatus potus? nihil.

§ 3. Et *terræ* ſanè peculiari *conſtitutioni* paſtionem eandem tribuendam eſſe, probatur à *Fontis* hujus ibidem proſilientis, hîc ex inſtituto laudatis, viribus & operationibus. Prout enim hujus jam memoratum fundum ſe habet, ita ſe habere oportet vicinorum, quibus ſubſternitur, pratorum fundum: ſi non æqualiter omninò (uti experientia in ſimilibus exceptionem dari probat), ſaltem ad magnam partem. Sed brevitatis etiam ſtudium me à latiori hujus probatoriâ diductione cohibet.

§ 4. Et quantum ad argumentum § 6. à *Symptomatis* ad aliarum aquarum, nominatim *purarum putarumque* uſum oborientibus & cruciantibus, deſumptum: illud non ita procedere obſervant multi, qui ſuo exemplo aſſerunt, ad ejus hauſtum illicò quaſi calorem capitis oboriri importunum, & ſpirituum Cerebri animalium talem inordinationem, ut *Vertiginis* ſe incurrere autument paroxiſmum; &, nî corpus illicò ambulando, diſcurrendo commoveant,

veant, *Cephalalgiam* ſubſequi. Imò non unum audio conqueri, de *Alvi* indè natâ *tarditate*. Et ipſemet ex ejus uſu expertus ſum, fortè ad aliquot horas ab ejus hauſtu liberaliore quieſcere & immoto ferè corpore conſiliis medicis ſervire coactus, aurium ſuſurrum, *gravioremque auditum*. Uti & alii idem, atque aliud paſſi ſymptoma, plenariam illam laudem ferrè ægrè valent.

§ 5. Et malè *pura putaque* aqua juxta *Acidulam*, adeò laudatam, adeò probatam, ponitur, quaſi utriuſque communia illa forent enumerata ſymptomata: *Cephalalgia*, nimirùm, *Vertigo. Tuſſis, Nauſea,* ac *aquæ vomitio: Colica paſſio*, *ſtranguria*, *Inteſtinorum* aliorumque viſcerum *obſtructiones*; *appetitus alimentarius imminutus*; *Tumores*, *Abſceſſus* & *Diſſolutiones*. Item *præter-naturalis ſomnus*, etiam *Vigiliæ continuæ*. *Spaſmus ſurarum*, *Catarrhi*, &c. Cùm teſtimonia de *Acidulis*, prolixè à laudatis ſuprà & infra ampliùs laudandis, Autoribus prodita, contrariũ abundè probent; Ratione rectâ clarè idem comprobante. Maximè quia eadem, quæ hujus aquæ conciliant vires, ac virtutem largiuntur, elementa largiùs in *Acidulis* inveniuntur. Temperieſque earundem ut bona, & curationi habilis laudatur. Videſis experientiſſ. viri *Jul. Cæſar. Claudini Append.* ad ſuum tract. *de ingreſſ. ad infirmos, ſect.* I. *p.* 365. 366. *& ſeqq.*

§ 6. Si autem recenſitorum hoc illudvè *Symptoma* fortè huic illive, ab *Acidularum* uſu oboriatur: illud non magis aquis illis imputandum veniat, quàm huic Bilfeldianæ, ſi quis de aliquo, fortè ſubſequente, ſymptomate conqueratur. Hujus enim cauſa non niſi ex *inconvenienti* uſu, & *ineptâ applicatione* deducenda obvenit: uti ipſe Autor expreſſis cavet verbis *Articuli hîc* IV. § 4, *&* 5. jam examinatis, & eleganter commonſtrat magnus *Hippocrates, de Arte n.* VII. *p. operum mihi* 5. *vol.* 1.

§ 7. Ut illa quæ § 7. refert jam dictis contraria videantur, Imò contraria eſſe ex ipſiuſmet Autoris curatoriâ cautelâ, infrà *Articulo* xv. *&* xvj. factâ, & *legibus rectè utendi* traditis, manifeſtè patet. Quod etiam ipſe fortè animadvertens, *Artic.* xvj. § 2. ſervare hujus aquæ decantatam hactenùs laudem nititur, dicendo: quòd *alioquin Fons hic Bilfeldianus vel non, vel admodùm pauco indigeat Medicamentorum apparatu & adjumento*, &c. *Maximè, quia jam enumerata* SUMPTOMATA, *propter virtutis aquæ noſtræ, quam retulit, excellentiam*, NON SOLENS EXCITARI. Et quidnam aliud innuunt illa Autoris verba: *quòd, quamvis inordinata & immodica ad integros dies continuos aſſumptio & ingurgitatio illa, jam memorata; & ab omnibus ferè & ſingulis, ſenioribus, junioribus; ſanis & ægris fiat: tamen* NON MALE ILLICO *ſe habere deprehendantur?*

§ 8.

§ 8. Et tantum certè abeſt, * ut *omnibus ex hujus aquæ uſu obtingat exoptata Sanitas;* ut non pauci poſt quam ſanitate priſtinâ gaudere videntur, in eoſdem, queîs antè excruciabantur, incurrant recidantque morbos. Imò, cùm non paucos mecum nôrint Bilfeldienſes, prope fontem mori; quantum de ſecuriore & innocuo hujus aquæ uſu datæ hîc, fidei derogetur, ipſi judicent. Sed progredior.

* *Verba Autoris ſunt:* ſie ſich nicht eben übel darauff befunden.

AD ARTICULUM VIII.

§ I. AD quem hoc notandum primò velim, quòd ea, quæ de *Pulſationis, Cordis & Arteriarum* ad hujus aquæ uſum obſervatâ, *conſtantiâ* § I. Autor refert, fide hiſtoricâ ſint aſſumenda. Cùm ea non videatur congruere operationibus, tollendis graviſſimis morbis, *Apoplexiæ Epilepſiæ, Arthritidi, Paralyſi,* &c. requiſitis & aptis. Nec ſymptomatibus ſuprà à me annotatis, ex hujus aquæ uſu oriundis; nec ei *operationi*, quam in *ſincipite ſingulariter ſentiri* ipſe Autor refert *Articuli* XII. § I. Quinimò ipſe inantè aſſeruit, ad pauxillum temporis intervallum per corporis moti ambitum *inſenſibilem transſpirationem* obſervari *promotam valdequàm. Imò inquibuſdam ſudores provocari.* Qui ſudores an *Pulſatione* Cordis & Arteriarum *conſtante & æquali* provocari queant, mecum judicet accuratus quilibet obſervator: niſi (uti jam ſuperiùs ad memo-

ratum *Articuli* v. § 5. cenſui) *corporis* magis *commotioni*, quàm virtuti aquæ, *Sudoris* dictam *provocationem* attribuendam velit.

§ 2. Non enim hîc intelligere oportet *valdè ac facilè obſervabilem* Pulſationis mutationem: cùm & ea non obtineat ad cujuſlibet, *Cereviſiæ*, licet liberalem, hauſtum. Etiam ea non ad *tenuis vini* aſſumptionem, licet largam, illicò obtinere ſolet; niſi ſuccedat corporis *commotio*, quâ per tranſmeacula ordinaria ad Cordis thalamum perducitur, ſanguinique adeò admiſcetur, ut eundem incendi faciliùs faciat; ſicque antè ſedatiorem & ordinatiorem, nunc minùs ordinatam & concitatiorem ferè pulſationem reddat: eoque pacto tandem ſudores provocet. Uti, ſi inſtituti pateretur ratio, latiùs poſſem monſtrare.

§ 3. Ut fatear (quemadmodùm ipſe experior), licet liberaliter aſſumatur, adeò Ventriculum vicinaſque partes non afficere, ut oneri illicò ſit, ac gravamini obſervabili. Indeque *Spirituoſitatis*, jam memoratum, petitur argumentum.

§ 4. Quòd autem talem Circulationis ſanguinis immoderationem, hincque Pulſationis alterationem non efficiat, qualem *Cereviſia generoſa*, aut *Vinum melioris notæ*: cauſa eſt ſpirituoſitatis, ſeu volatilitatis activitatiſque (quæ magna eſt) differentia. Ut, ſi tantâ gauderet aqua hæc volatilitate & activitate, quantâ *Cereviſia*

reviſia generoſa, & melioris notæ *Vinum*; tantam facilè, & æqualem commonſtraret Pulſationis alterationem.

§ 5. Quod etiam § 2. de aquæ hujus *perduratione* ac *præſervatione* prædicat Autor, tanti non eſt pretij, ut indè ſingularis quædam huic aquæ laus conciliari poſſit. Cùm & aliæ Medicinales aquæ ejuſdem dignitatis obſerventur participes. Et ea præſervatio tota dependeat à *juſtâ* conſtituentium elementorum *proportione* ac *contemperatione*. Quæ, ſimulac accedit alterare valens cauſa, imminuitur adeò, ut putredini ac corruptioni proxima aperiatur via. Imò & aliâ in aquâ fontanâ experior, ipsâ æſtate eam vel per biduum præſervari adeò poſſe, ut ſine ullo fœtore uſui ſit. Ut ille, quem Autor in ſui domeſtici fontis aſſervatâ aquâ obſervavit, fœtor à peculiari eam conſtituentium ſimplicium peudeat anomaliâ atque inordinatione.

§ 6. Quantùm autem ad elenchum § 3. ab Autore factum: eum quanti habeam, ex jam dictis conſtat, & conſtabit ampliùs ex dicendis deinceps. Saltem hoc obiter notatum hîc velim, quòd ea ratio, quæ eſt *Solis* ad ſibi tributam calefaciendi virtutem, ſit valdè inæqualis ei, quæ eſt *Aquæ* hujus ad tributas ipſi, ſuprà alias medicinales aquas *excellentes* vires, ac curandi virtutes. Cùm illa omnibus & ſingulis Solem videntibus manifeſtiſſima ſit, & indubitanter

ſenſu

ſenſu agnoſcatur: hæc autem plurimis in dubium trahatur, non paucis negetur; propter jam allegatas,& allegandas adhuc probatorias rationes.

AD ARTICULUM IX.

§ 1. HIc quæ ad hujus à *purâ putâque aquâ* differentiam probandam faciunt, ſatis animadverſa & demonſtrata habemus ex jam prælibatis. Ut verbum iis addere nullum neceſſe ſit.

§ 2. Quòd verò ad § 1. finem aſſerat Autor, hujus Fontis aquam plus præſtitiſſe, quàm ab ullo alio vel acidulo fonte, vel ab ullis Thermis calidiſque fontibus auditum, aut præſtitum, effectumve eſt: licentiæ ejus condonandum videtur, utpotè ei cum aliis, ſuum cujuſque fontem pro virili quoque omnibus cæteris præferentibus, communi.

§ 3. Nec animus eſt aliorum Fontium cauſam agere. Sed, cùm aliorum Autorum fides parem cum præſentis Autoris eâ, mereatur locum; quid ſi huic hîc fidem habeamus, reſpondebimus illis, quid fusè de *Acidularum* uſu ac virtute eximiâ refert laudatus *Jac. Theod. Tabernæmontanus*, in ſuo Theſauro Aquarum? etiam illis, quæ refert *Phil. Gaeringus*, deſcriptionis Fontium acidorum pagi *ſpa*, *Cap.* VII. *p.* 22. *&* *ſeqq.* & *Ferrati tungrenſis*, *cap.* V. *&* VI. *p.* 64, *&* 65. Etiam illis; quæ refert lauda-

laudatus *Henr, ab Heer* memorat. Spadacren. *cap.* VIII. *p.* 56. *& ſeqq.* Etiam illis, quæ habet ſuprà laudatus quoque *Ludov.* von Hörnigk in *Macroſualbacenſium* aquarum deſcriptione, variis in locis? præcipuè *qu.* VI. *p.*46. *& ſeqq. & quæſt.* xlvii. *p.*208. *& ſeqq.* Ut & illis, quæ profert laudatus etiam *Georg.Bolmannus*, in præfatione ad ſuam *Pirmontanarum* aquarum deſcriptionem: & monſtrat probatque in ipſius Deſcriptionis *capite* nominatim ix. *pag. mihi* 57.& *ſeqq.* Item ad ea, quæ de *ſpadanis* conſtanter referuntur aquis, reponemus? Earum etiam cauſam prudenter agenti, ipſimet Autori adeò laudato, D. *Helmontio*, ſupplementi de ſpadanis fontibus *paradox.* v. *n.* 4, 5, 6, 7, *& ſeqq. pag. mihi* 553. *&* 554. Ut & ad ea quid dicemus, quæ de *Fontibus*, *Thermis & Balneis Anglicanis*, maximo cum virtutis & utilitatis præconio narrari audivi, & ibidem degens partim expertus ſum?

§ 4. Quod etiam ad communem aquis omnibus Bilfeldianis PULVEREM attinet: non poſſum facilè concedere aliam diſſimilitudinem, quàm ſuprà indicatam, puta gradu & contemperationis modo. Cùm præter baſin terram *calci ſimilem*, quam *Margam* ſuprà appellavi; & *Tartari* & *ſalis* aliqualem ineſſe oportere portionem, conjiciam ex eo, quòd ipſe Autor (uti ſuprà ad *Artic.* VI. § 6. prænotavi) agnoſcat *Arthritidi*, *Podagræ*, *Calculo*, *Strangu-*

Stranguriæ, aliiſque *Tartareis morbis viam* ac *aditum* adeò *parare*, ut Bilfeldienſibus iiſdem *excruciati* morbis *minimè deſint*. Sed pargo ulteriùs.

AD ARTICULUM X.

§ 1. Ubi ad quæſtionem illam, de *Fontis hujus origine ac derivatione*: reſpondeo etiam, ſi qui judicent aſſerantque, ridiculè aſſerere, NECESSARIO *hunc â montibus defluere ac derivari*. Ita tamen ut derivationis *poſſibilitatem* minimè negem. Quippe quæ legibus Motus facilè, ſi operæ pretium habeatur, probari poteſt.

§ 2. Nec obſtat, quod § 2. Autori allegatur, argumentum. Quoniam illa diſſimilitudo aquarum in munimento *Sparenbergenſi*, & infra montem in urbe *Bilfeldienſi*, & extra eandem obſervatarum, tanta non eſſe videtur, quanta habetur. Et licet tanta foret, aliundè tamen, ſalvâ meâ ſententiâ, deduci poſſet diſſimilitudinis ejuſdem ratio.

§ 3. Quòd autem *diſſimilis adeò* non ſit, ex jam diductis inclareſcit. Et probatur magis ex vacillante Autoris obſervatione, quam prodit § 3. dicendo: *DUBITO, an cum appetitu ac deſiderio juſto tanta illarũ, quanta quidem hujus noſtræ, quantitas ac copia aſſumi bibique queat.* Ut ſcilicet cognoſcatur, anne conſimiliter *ſenſibilem ac copioſam urinæ redditionem procuret.*

§ 4. Et

§ 4. Et ad illum §4. ab Autore ſubjunctum, elenchũ quod facit: non poſſum ejus infirmitatem ſatis admirari. Quęnam enim conſequentia datur à *juſto derivationis loco*, ad *viriũ ac virtutis* hujus deſumptionem ac *mutationem?* talis ſcilicet; ut, quamvis juſtũ quis præcisè determinare nequeat derivationis Fontis locũ: tamen ejuſdẽ vires ſufficienter inquirere ac noviſſe valeat.

§ 5. Imò nullum aptiorem ſocordiæ & ignorantiæ pontem eſſe putem, *myſteriorum Dei* illo prætextu. Qui eluditur ingenuè natis & doctis omnibus: quippe qui facilè & conſtanter aſſerunt, Deum cuncta, quæ & qualiacunque ſint, hujus Univerſi, hominis ingenio diligenter inquirenda, perſcrutanda & cognoſcenda tradidiſſe: nempe ut hic eorum naturâ, conſtitutione, nexu, ordine, commercio, opitulatione mutuâ, ac conſervatione rectè animadverſis; rectè agnoſcat, miretur ac revereatur compagis & machinæ, adeò vaſtæ, adeò variæ, adeò bonæ ac pulchræ ſapientiſſimum, potentiſſimum & optimum artificem. Adeò quidem, ut alia fatear, faciliùs citiùſque erui; alia (utpotè *reducta, & interiore ſacrario clauſa,* ut *Senecæ* [a] Philoſophi verbis utar), difficiliùs ſeriùſque patefieri ac cognoſci. Hincque alia aliis ingenio eſſe propiora, atque clariùs diſtinctiùſque intelligi ac cognoſci: quemadmodùm & alibi, præſertim in præfixâ hâc *Oratione* meâ promotoriali, jammodò, cit. latiùs demonſtro.

[a] *Vide ſ. Senec. nat. qu. l. 7. c. 31.*

§ 6. Et

§ 6. Et quouſque jam in eorundem inquiſitione deventum ſit, & indies perveniatur, docent recentiorum ac hodiernorum induſtriâ plena monumenta Phyſiologica. Imò in hôc quoque *Fontium derivandorum* negotio, ut & *Fluxûs* ac *refluxus Maris* determinatione ac cognitione hodiè eò uſque devenitur, ut vix quicquam difficultatis rerum gnaræ & juſtè habili menti ſuperſit. Quemadmodùm jam pluries laudati D. *Helmontij* ea, quæ habet ſuprà citati ſupplementi *de ſpadanis Fontib, paradox.* I. *n.* 21. *p. mihi* 547. *b.* Et ea quæ habet laudatus *Henr. ab Heer* ſpadacren. *cap.*1. *p.*13. *& ſeqn.* Et præter CL. *Dan. Voetij* ea, quæ habet *Phiſiologiæ* ſuæ *lib.* 2. *cap.* v. *§.* 28. 32. *& ſeqq.* & præter nobil. D. *Regij* ea, quæ habet *Philoſoph.* ſuæ *nat. lib.* 3. *cap.* 2. *p. mihi* 167, 168, *&c.* item *cap.* 5. *p.* 188, *& ſeqq.* Et CL. *Claubergius*, *Diſputation. Phyſic.* xxxiv. *n.* 1, 2, 3. *p.* 265. *& ſeq.* clarè oſtendunt ea, quæ ſingulari tractatu de *motu Marium & Ventorum* prodit CL. *Iſaacus Voßius*, G. F. Et quæ exhibet *Mundus ſubterraneus* laudati ſuprà *Kircheri tom.* I. *lib.* III. *ſect.* I. *cap.* 4. *p.* 125. *& ſeq.* item *ſect.* II. *cap.* 1. 2. 3. *p.* 128. *& ſeqq.* Itemque *lib.* v. qui eſt *de Lacuum, Fluminum, Fontium naturâ & proprietate, earumque ex ſubterraneis origine. ibid, p.* 226. *& ſeqq.*

§ 7. Sed & his neſcio, cur inſiſtere diutiùs debeam. Sequitur utilis & inſignis illa, circa

Aquæ

Aquæ hujus uſurpationem & applicationem ab Autore mota, quæſtio bimembris: *ſitne uſus internus externo præferendus? & anne conjungi utrumque oporteat?*

AD ARTICULUM XI.

§ 1. ATque quantùm ad Autoris ſolutionem, illa mihi adeò placet, ut mirari etiamnùm ſatis nequeam D. *Stockeri* ſententiam, quam in annexis ejus literis videre licet: quâ aſſerit, aquam hanc Bilfeldianam *externum magis, quàm internum cenſeri remedium.*

§ 2. Et ne actum agam, videri poterunt, quę ei in annexis quoque meis reſpondi. Quibus addo, quòd quæ dum videatur apud eum contrarietas obtinere: dum modò *externum magis*, quàm *internum* cenſeri remedium: modò *univerſale* magis, quàm *particulare*, ſeu (uti ejus eſſe mentem monui) univerſalem morbum magis, quàm particularem curans, remedium videri dicit. Quicquid enim *externum* magis eſt remedium, non internum & univerſalem, ſed *externum* & *particularem* curare morbum magis aptum natum eſt: uti contrà *internum* magis eſt remedium, quod non *externum* & particularem, ſed *internum* & *univerſalem* morbum curare ac emendare, ſi non ſanare, magis aptum eſt natum. Ut remedium *externum particularem*, uti *internum univerſalem*, propriè & adæquatè ſpectet affectum præternaturalem.

 § 3. Quam-

§3. Quamobrē rectè me arbitror, intuliſſe benè memorato D. Doctori; ac quęſiviſſe, quomodò tunc (ipſius etiā propriâ Experientiâ teſte) plures referantur in Exemplorum catalogo curati morbi *univerſales*, quàm *particulares*; plures *interni*, quàm *externi?* Cujus dubij mei ſolutionem ab ejus humanitate adhucdùm expecto.

§ 4. Et ejus reſponſionem certè iſtam inopinatò vidi; cùm ego quidem me 4. quæſiviſſe meminiſſem: *num aqua hæc eſſet remedium UNIVERSALE?* id eſt panacææ inſtar, *omnibus & ſingulis, qualibuſcunqué morbis* curandis ſerviens, uti DD. continuò intelligitur ſumiturque. Ut ſcilicet importunos & ſuperſtitioſos vulgi de Fontis hujus novelli uſu clamores coërcerem pręſentis ibidem Medici teſtimonio; &, prout de *Fontibus* & *Aquis medicinalibus* judicare ex Rationis rectæ & Experientiæ dictamine indeſinenter & ingenuè nitor, *rectum & genuinum ejus uſum* unicuique, meum judicium quærenti, ſignificarem. Alioquin, uti ſuprà quoque animadverti, conſtat tum alijs ſanę mentis & rerum gnaris quibuſlibet, tum mihi, nullum *univerſale remedium* in rerum naturâ dari, aut inveniri, quicquid garriant contrà ineptiſſimi, & maximè temerarij Empirici, Agyrtæ & circulatores circumforanei, ad extremos Garamantes Indoſque exterminandi. Videſis laudatum *D. Bolmannum l.c. cap.* XI. *p.* 81. & 82.

AD ARTICULUM XII.

§ 1. SEd his miſſis, alijque oportuniori loco reſervatis, progredior ad ea, quæ Autor hîc prodit circa aquę hujus *operationem*, & operandi *modum*. Ubi notandum eſt, quòd
§ 3. ſupponat ſpecialem huic aquæ competere virtutem ſanandi *Cœcos*, jure tales, communiter inſanabiles habitos, arte ordinariâ, ac mediis naturæ. Quam virtutem cur in dubium multi trahant, ad Exemplorum examen pluribus interpretabor. Rectè autem ex hypotheſi ratiocinatur Autor: ſi aquá hæc graviſſimum illum affectum ſanet, *oportere per nervoſum genus ita perrepere, ut nervos opticos fortè obſtructos deobſtruat*, &c.

§ 2. Uti & illa *Paralyticorum* ac *contractione membrorum* propriè verèque laborantium cura hypotheſi eâdem nititur: ut ſi eos ſanet, oporteat eodem ferè modo nervoſum perreptare genus; atque ea reſerare, quæ occluſa; attenuare, quæ incraſſata; emollire, quæ indurata; & extendere ea, quæ contracta fortè obveniant.

§ 3. Similiter ſe rem habere patet, in Epilepſiæ, vulgò *morbi caduci*, curatione: ubi aquam hanc, eum dum ſanat morbum, nervoſas Cerebri ac Cerebelli partes ita afficere oporteat, ut cauſam hujuſce morbi tollat. Quæ qualiſnam ſit: anne puta humor aliquis ma-

lignus, Autori *virus epilepticum* appellatum; an quid aliud, in jam promiſſis meis Pathologicis inſtitutionibus determinare & explicare conabor.

§ 4. Et quod de *aliorum Medicamentorum*, juxta aquam hanc acceſſorio, *uſu*, dicit Autor § 7. partim jam obiter dixi quanti faciendum, ampliùs dijudicandum & æſtimandum in ſequentibus.

§ 5. Et rectiſſimus quidem ille § 8. relatus, eſt modus *vires medicamentorum*, *&* *rerum quarumlibet medicinalium, inveſtigandi ac dijudicandi*. Sed ne etiam plùs quàm digitis extremis hæc attingere velle videar, progredior

AD ARTICULUM XIII.

§ 1. UBi utiliter certè movetur illud dubium, circa *durationem* ac *virium* hujus aquæ *perſeverantiam*. Sed diſplicet, quòd ſuum hunc fontem *acidulis* ſæpè memoratis iterùm anteponat, quaſi verò ejus virtus ab Autumnali & Brumali viciſſitudine (quæ tamen, experientiâ quotidianâ teſte, nihil, inprimis fluidum & ſpirituoſum, conſtans ac immutatum perdurare ſinit) magis immunis foret, quàm aciduli dicti fontes. Cùm contrarium probari poſſit Autorum laudatorum teſtimonio; & ratione ſimplicium, Acidulorum fontium aquam conſtituentium, validorum; quæ uti majore in iis concurrunt copiâ, ſic & majore

inju-

injuriis, cœlo & aliundè natis & naſcituris, reſiſtendi vi gaudere eos faciunt. Videſis *Chriſt. Lange*, M. D. & P. P. Lipſienſ. ſingul. tract. *de Thermis Carolinis, cap.* 3. *n*. 7. 8, *& ſeqq*. 10. 12, 21, 22.

§ 2. Ut ſentiam, parem eſſe aquæ hujus & acidularum eatenùs rationem, quatenùs utriuſque vires præſervari, ac per *Autumnum Hyememque* perdurare queunt, dummodò *Cœlum porrò favet, neque alij fontes admiſcentur*. videſ. laudatum ſæpe D. *Lud.* von Hörnigk / *l. c. quæſt*. XXII. *p*. 127. & D. *Bolmannum l. c. cap*. VI. *p*. 42. *& ſeqq*. inſuper *cap*. vij. *p*. 46, 47, 48, *&* 49. Et poſſe *in ſequentem* quoque *annum protrahi* hujus fontis *virtutem*, & *operationem* præſenti ſimilem tunc quoque locum habere; facilè licet credere, ni vel ipſe divertat, ſiſtatur, aut *ſingulares imbres eam vetent impediantve*. Et ita his prætermiſſis, pergo

AD ARTICULUM XIV.

§ 1. UBi § 1. innuit Autor ſcrupulum, Bilfeldienſibus vulgò motum: *num ſcilicet cibum alimentaque cætera aquâ fontanâ præparare liceat?* Et audio, religioni haberi plurimis, hanc aquam in ordinarium vertere uſum: adeò, ut fontanam aquam hanc, non *Aquam*, ſed unicè *Fontem*, & quidem *mirificum*, ein wunder-brunne appellari ſummo zelo velint. Fortè cum *Spadanarum* aquarum præconibus,

ad blaſphemiam uſque (quemadmodùm rectè loquitur D. *Helmontius parad. v. cit.*) ſuperſtitioſis, dixerint: *Non eſſe, quòd jam deinceps, nacto hôc noſtro Bilfeldiano fonte, veterum aquarum miracula, vel Siloës piſcinæ, vel Jordani Naamum ſanantis, ſtupeamus: cùm hîc, & attonito morbo, convulſione Paralyſique laborantes, leproſoſque curari videamus.*

§ 2. Undè & melioris notæ incolarum nullus ferè alimenti quicquam eâ præparare aquâ, aut cerviſiam coquere obſervatur.

§ 3. Cui ſuperſtitioni maximè videtur Autor obviam ire velle, dum inquit: *non putem etiam eum graviter errare, qui cibum hujus noſtræ aquæ adminiculo præparare, &c. Cogitârit.* Equidem aſſero, nullomodò eum errare, id eſt in legem divinam, aut dictamen conſcientiæ peccare.

§ 4. Ita tamen, ut, ſi fortè propter rationem politicam placuerit Magiſtratui Bilfeldienſi aquæ hujus ordinarium uſum prohibere; judicem, eum tunc in humanam impingere legem, quiſquis in *ordinarium* illum nihilominùs vertit uſum.

§ 5. Quæ quidem *politica ratio* eſſe poſſet; ne forte inſolenti illâ hauſtione & abſumptione ſcaturigo detrimentum patiatur: puta ne vel optato citiùs exhauriatur, vel cavernoſus ejus ductus concidat, ipſeque fons omninò ſiſtatur: uti ſequens forſan docebit dies.

§ 6. Et

§ 6. Et indè potiſſima ratio petenda venit hujus illiuſque fontis (Hiſtoricorum teſtimonio) *ſubitò eruti*, *ſubitò* quoque *exhauſti & abſumpti*. Præterquàm quòd Fontis aliûs, atque aliûs ſinus & alluvies tantùm differant, ut alii aliis uberiores, & quidam ferè inexhauſti, virtutiſque ejuſdem continuò ferè participes deprehendantur.

§ 7. Quantùm verò ad dubium illud, majoris ſanè momenti: *nùm ſingularis quædã utilitas ex aqua hujus cum Alimentis præparandis admiſtione, cerviſiæque indè quibuſdam factâ coctione, ſperanda veniat?* Rectè Autor § 2. reſpondet.

§ 8. Et, ut id quod ſentio, liberè dicam: *ſingularem utilitatem* nullam ſperare, aut conjicere indè ego poſſum; propter ingentem Aquæ hujus fontanæ, ut & aliarum, per Coctionem obtinere ſolitam mutationem. Videſ. vel mox laudatum D. *Lud.* von Hörnigk *l. c. qu.* LXV. *p.* 291. *&* 292. Et quæ paſſim animadvertit experientiſſ. D. *Joan. Zwelferus*, in ſuis ad Pharmacopæiam Auguſtanam, ſuprà laudatis quoque Animadverſionibus: præſertim *Append. ad Animadvers. p. mihi* 4. *& alibi.*

§ 9. Sed quantùm Aquæ hujus admiſtionem *vino* factam concernit: major videtur locum capere utilitas. Tanta tamen non, ut eum utendi modum maximè laudem; propter ea, quæ ad ſequentem *utendi Methodum* ac *Diætam* obſervaturus ſum.

 § 10. At-

§ 10. Atque hôc pacto, cum Autore prolixitatem, & indè oriundum tædium evitans, progredior

AD ARTICULUM XV.

§ 1. UBi laudandus obvenit Autoris officioſus conatus, & accuratio notabilis. Ex dictis enim & dilucidatis, imò ex planâ ratione atque experientiâ conſtat, *regulam* & ordinem, tum *pauperibus*, tum *divitibus*; tum grandioribus & *adultioribus*, tum *junioribus* obſervandum eſſe. Quæ quidem mens eſt veteris iſtius epigrammatis:

Balnea, Vina, Venus corrumpunt corpora noſtra.
Conſervant eadem Balnea, Vina, Venus.

Si nimirùm cum modo ac menſurâ uſurpentur, reliquaque obſerventur, quæ memoratæ *Diæta bonæ* nomine veniunt.

§ 2. Ad ejus autem determinationem accuratam nemo facilè pervenerit, propter eam, quam indies obſervamus temperiei & conſtitutionis, ad momenta ferè vel in uno homine mutabilis, diverſitatem. Quod etiam Mantuanus ille Medicus inſignis, *Jul.* Delphinus animadvertens, tandem aſſerit: *propterea una regula tradi non poteſt, ut dicamus in exhibitione potûs aquarum hoc, vel illud obſervato. Sed UNIVERSALIS methodus tradenda eſt, quâ cognoſcatur, quibus affectibus conveniat aquæ*

potus, & quid in ejus exhibitione ſervandum. viz. *Quæſtionum medicinalium* 1. quę eſt *de aquarum Thermarum uſu, fol.* 21.

§. 3. Ut, re omni rectè putatâ, aliam vix poſſe regulam locum habere arbitrer, quàm quæ § 3. ab Autore præſcribitur: *eâ puta menſurâ adſumendam hanc aquam eſſe, quâ animadvertere & ſentire poterit æger abſque ullo nocumento naturam corporis vireſque ferre poſſe*: ſenſim paulatimq; adſcendendo ac deſcendendo. Videſis quæ huc faciunt, apud laudat. *Jul. Delphinum, Quæſt. med. cit. fol.* 24. *b. med.*

§ 4. Et quantum ad hauriendi ſumendique *Tempus*: illud optimum, quod *jejunum* indicat Ventriculum; &, ex œconomiæ corporis noſtri jure, exercitium patitur deſideratum, aut incaleſcentiæ corporis conciliandæ alia media externa.

§ 5. Quantùm autem ad SUMPTOMATA, imprimis aquæ hauſtæ *hæſitationem*, aut *obſtructionem*, quam Autor metuit, ne fortè locum inveniat: ego putem *corporis exercitium*, aut alio quo modo extrinſecùs conciliatam ejuſdem *incaleſcentiam* ſatis poſſe iſtam præcavere. Adeò ut (juxta ea quæ hactenùs ipſe confeſſus eſt Autor, & expreſſiſſimis aſſerit verbis ſequentis articuli § 2.) *Aquâ, Spiritu, Pulvere, Morſellis, Linctu ſtomachali, cardiaco,* quocunque etiam alio nomine ſpecioſo inſigniantur, locus ferè negetur: dummodò cætera,

quæ *Diætam* rectam ſpectant, rectè obſerventur. Quid enim opus eſt remediorum apparatu, ubi unum alterumve aliquod ſufficit? juxta vulgatum illud Philoſophorum: *Quod fieri poteſt commodè per pauciora, non opus eſt ut fiat per plura.*

§ 6. Quòd autem quæ dico, probabilia ſaltem, ſi non valdè vera, ſint, facilè quilibet dijudicabit, qui *analogiam* ac *proportionem* inter *Affectum* præternaturalem ſiveMorbum curandum,& *Remedium* juſtè animadvertet. Ut ſemper & indubitanter, poſitis ponendis, remedij adminiculo morbus tollatur, ubi illa conſtat remedij cum ipſo morbo analogia, & virium requiſita habitudo. Adeoque, ſi aqua hæc fontana ejus ſit naturæ, ſive ita conſtituta ac temperata, ut huic illive morbo mederi valeat (uti quidem Medicamentorum aliorum naturæ communi congruenter ſe habentem, valere oportet); quid opus eſt alio acceſſorio?

§ 7. Et quantùm ad *externum* uſum: tum *Balneum*, tum *Epithemata*: rectè iſta *tepidè* ad ſummum adhibenda,ab Autore præſcribuntur, non calida valdè: ne nimirùm Aquæ temperies, quâ adeò utiliter gaudet, immutetur; ſicque vires (uti aliquoties monui) imminuantur deſideratæ. Si autem locus, aut *aër* circumſtans ſit *calidus* (verbi gratiâ de Æſtate, cœlo ſudo; quo & calere hanc aquam aliquatenùs obſervatum, ſuprà retuli), ut hauritur, uſur-

pari poterit; propter eandem, quam jamjam tradidi, rationem.

§ 8. Ex dictis itaque facilè poteſt dijudicari, quidnam de *VINI intercurrente uſu* ſentiam. Nempe quòd, ſi cui affectui aqua hæc ſufficienter poteſt (uti poſſe, excellentia ejus adeò deprædicata monſtrat) mederi; non videam, quiſnam uſus fuerit *intermiſcendi Vini*. Uti & viceverſâ, ſi remedium, aut medela petenda veniat ab intermixto *vino* (uti ſanè magna, imò admiranda eſt Vini virtus: quemadmodum alibi demonſtrabo facilè, & probat interim ſatis fusè ac clarè *Petr. Andr. Canonherius*, ſingulari tractatu *de Admirandis Vini virtutibus*); cur æger haurit, ac aſſumendâ ſe adeò cruciat aquâ?

So riethe ich er blieb beym Wein/
Und ließ daß Waſſer/ Waſſer ſeyn:

Ut utar verbis poetæ illius Germani, apud laudatum D. von Hörnigk/ *quæſt.* XXXVII. *pag.* 170. Et quammaximè id agnoſcimus, ſi dictam temperiei ac conſtitutionis proportionem in remedio requiſitam, & in aquâ hâc ſuppoſitam (uti animadvertendam monui), animadvertamus rectè. Videſis quæ huc facere poſſunt, apud eundem, *qu.* LXIV. *p.*261. *& ſeqq.* & laudat. *Bolmannum l. c. cap.*XII. *p.*92. *& ſeqq.*

§ 9. Et nullus dubito, quin unumquemque ſi prudentis Medici recto conſilio rectè

uta-

utatur; nihil incommodi, nihil ſymptomatis, nihil morbi, ſed ipſam valetudinis optatam reſtitutionem hujus aquæ, uti & aliorum convenientium remediorum, adminiculo oporteat reipsâ experiri.

§ 10. Atque ita, cùm par proceſſûs utrobique tum apud pauperes, tum apud divites curandos, ſit ratio; & quænam animadvertenda utrobique obveniant: jam dixerim: *Articulo* XVI. prætermiſſo, progredior

AD ARTICULUM *penultimum* XVII.

§ 1. UBi Autor ex antè diductis ait quidem, *facilè unumquemque videre ac colligere poſſe, in QUIBUSNAM AFFECTIBUS Fons ille Bilfeldianus opera utilem tulerit*. Sed, me judice, ſatiùs dixerit: „ facilè ex deductis videre & colligere unumquemque poſſe, aquam hanc fontanam medicinalem adeò eſſe, ut in multis affectibus præternaturalibus opem ferre valeat, & tuliſſe experientiâ nobis conſtet. Inſuper in quibuſnam affectibus opem eam tulerit. Oportet enim ita ratiocinari, ut quod antè in quæſtione fuit, per elenchum quàm firmiſſimè concludatur & aſſeratur.

§ 2. Hoc autem in quæſtione fuit, & eſt omnibus, qui fontanæ hujuſce *aquæ* laudes audit, & animum ad eaſdem vertit.

1. *Anne reverâ medicinalis aqua ſit; ſeu an alicui morbo mederi valeat, nec ne?*

2. *Quibuſnam? anne ijs morbis omnibus, quibus mederi narratur.*

§ 3. Et ijs etiam dubijs tollendis primùm allegata ſunt & explicata ejus aquæ conſtituentia *ſimplicia*, ſeu elementa, ac *qualitates* communes & propriæ, medicinam efficacem referentia; ut & *operandi modus*, & *utendi ordo*. Iiſque dein confirmandis, acceſsêre allegationes *Exemplorum* nominetenùs. Quæ quidem ſuis tandem circumſtantijs inveſtita appenduntur.

§ 4. Adeoque miror, quòd Autor ad § 2. finem dicit: *Curationes tales tanquam R E M F A C T I habendas eſſe adeò, ut neminem de ijs dubitare oporteat.* Cùm apertiſſimè conſtet, eſſe *rem rationis*, per *facta*, ſeu actualia exempla confirmatam.

§ 5. Quid? ſi quando nuda *res facti* eſſet; tunc neminem abſentium, licet hæc diceret Autor, licet vel uno nomine atteſtarentur omnes Bilfeldienſes, ſuiſque corroborarent ſigillis, ſtringeret non magis, quàm aliæ hiſtoriæ, authoritate ſolùm hominis narrantis nitentes.

§ 6. Non ſufficit enim prætendiſſe *Experientiam*; ſi non accedat obſervabilis *Ratio*, Experientiæ norma ac trutina. Et Philoſophus certè erubeſcat oportet in humanis, ordinarijs

& na-

& naturalibus, loquendo, aſſumendò & approbando quicquam ſine certâ, clarâ & evidente ratione comite. *Humana* autem hæc ſunt, non divino nitentia teſtimonio. *Naturalia* hæc ſunt, non ſuprà, aut extra naturam. *Juxta*, non extra, ejus operandi *tenorem* & *ordinem* fiunt, quæcunque hîc fiunt.

§ 7. Et quantùm ad ipſos *Affectus*, *quibus mederi* hic Fons dicitur: oportet nos eos tali oculo non intueri, quali ſuperſtitioſum, & in nova quælibet inſolitâ admiratione, & deprædicatione ruens, vulgus. Sed attentè & diligenter luſtrare, & accuratè examinare.

§ 8. Novimus autem, eſſe alios præternaturales affectus, ſeu morbos reipsâ tales, & *genuinos* dictos; alios *ſpecietenus* ſimiles, & morborum quaſi *umbras*. Uti exempli gratiâ, eſt ineptitudo illa omnium membrorum motoriorum corporis, quæ vulgò *Paralyſis universalis* appellatur; reverâ nihil niſi *ſymptoma Arthritidis*, aut *Cacochymiæ univerſalis*, ut umbra lucis habenda. Idque propter talem obſervari ſolitam illius ineptitudinis à Cacochymiâ, aut Arthritide dependentiam; ut hâc ſublatâ, tollatur illicò, vel evaneſcat ferè ſpontè ineptitudo; haud ſecùs ac remotâ luce, ejuſdem umbra: quemadmodùm clariùs diducere & demonſtrare conor in meis promiſſis Inſtitutionibus Pathologicis.

§ 9. Inſuper novimus, & volentes nolentes fatemur,

fatemur, aliam eſſe, curatione factam imminutionem Cauſæ morbi, aliam ejuſdem cum morbo plenariam ſublationem. Atque adeò aliam eſſe ſublationem *Symptomatis*, aliam *Morbi* radicaliter. Cùm illa ſit nonniſi mitigatio,& reverâ DD. dicta *Palliatio*. Hæc verò genuina *Sanatio*: uti etiam ſuo loco clarè & diſtinctè demonſtrabo.

§ 10. Ut, ſi attenti ſimus allegatorum ab Autore Exemplorum obſervatores: videamus, & affectum unum pro alio, genuinum ac verum Morbum, cum Morbi ſymptomate ſæpiſſimè confundi: ut gravem auditum cum *ſurditate*; ſuffuſionem oculi, Ophthalmiam, &c. Cum *Cæcitate*; Loquelæ inſervientium organorum vel minimam impeditionem, cum Loquelæ privatione; adeò ut ægrum illicò *mutum* appellent:&ſic porrò in ſimilibus morbis; qui, cùm dicant privationem totalem (à quâ ad priſtinum habitum, per naturam non detur regreſſus) *inſanabiles* DD. vulgò appellantur,& reverâ per ordinarias Artis vires,naturaliaque media, qualiacunque fuerint,inſanabiles ſunt. *Et* curationem *mitigatoriam,palliativam*, cum *Sanatoriâ genuinâ* promiſcuè accipi.

§ 11. Inſuper novimus morbos alios eſſe *leves* & curatu faciles; alios tum initio, tum ſucceſſu temporis *graves*, & curatu difficiles. Itemque alios eſſe *ſolitarios*, alios *causâ ſotos*, alios

alios denique *Symptomate comitatos*: ſicut in Morborum *Differentijs* convenienter inſtituto interpretabor.

§ 12. Adeoque, ut ingenuè eloquar (uti me Ratio, ipſâ confirmata Experientiâ, eloqui jubet): aſſero, fontem hunc morbos LEVES, & curatu facilis tollere poſſe, tum *ſolitarios*, tum *ſymptomate comitatos*. GRAVES verò & *difficiles*, tum *ſolitarios*, tum *cauſâ ſotos*, tum *ſymptomate comitatos* lenire, mitigare: iſtos minùs, illos magis, hos maximè.

§ 13. Et ut verbo rem perſtringam: iis præcipuè mederi poteſt & ſolet affectibus, qui Cacochymiam referunt, tum univerſalem, tum particularem; vel (ut Autoris eſt Phraſiologia) *Morboſum apparatum*: indèque oriundam ſimplicem obſtructionem, colluviem, punctionem, Vellicationem, tenſionem; indeque natos analogos dolores. Videſis quæ huc faciunt, apud laudatum D. *Helmontium*, *ſupplem. cit. parad.* v. *n.* 3. *& ſeqq. pag. mihi* 553. [a], [b].

AD ARTICULUM XVIII. *& ult.*

§ 1. TAndem ad *præſervationem* §1. ab Autore promiſſam, quod facit: animadvertendum obvenit: quòd vires hujus aquæ *præſervatoriæ* nullæ à curatorijs, ſeu *ſanatorijs* diſtinctæ agnoſcantur. Adeoque eam non niſi *curare*, mederi, & quouſque valet, *ſanare*. Haud ſecùs ac alia *Medicamenta*; quorum

quorum ſanè uſus nemini præſcribitur, niſi quando datur, aut metuitur ſanitatis obſervabilis deflexus: quò vulgata (cujus & Autor ſuprà, *Artic.* IV. § 4. utitur argumento) illa ſarta tecta ſervetur interrogatoria ſententia: *Quid ſano ac bene valenti rei eſt cum Medicamine, aut Pharmaco?* Et nihil reſpondet quiſquis mecum novit, quod ſic, uti

Uſus habet laudem, crimen Abuſus habet.

§ 2. Quamobrem & ſeriò adeò ipſe Autor ſuperiùs cavit, *ne citrà urgentem neceſſitatem aqua hæc bibatur:* Memor fortè miſerandi illius exempli, quod ex *Guil. Fabr. Hildani* obſervation. Chirurgicis, *de Thermis Leucenſib. p.*647. Profert CL. *Chriſtian. Lange* ſuprà laudat. *de Thermis Carolinis cap.* IV. *n.* 23.

§ 3. Et ego quidem nemini autor eſſe volo, ut eandem, niſi (dictis congruenter) malè valeat, hauriat aut ſibi bibendam propinari patiatur. Sed cogitare continuò velim, optimum præſervatorium & conſervatorium medium eſſe DIÆTAM RECTAM rectè ſervatam: imprimis cavendo à *Cibi à Potûs inordinatione, immoderatione & vitio.* Nam, juxta illud Poëtæ Germani veri-verbium:

Wer gut Maß helt in Speiß vnd Tranck/
Derſelb wird alt/ vnd ſelten kranck.

ſicut in *Curatorijs* meis *Inſtitutionibus* quàm clariſſimè ſum docturus.

§ 4. Et dum *Febri* quoque præcavendæ aquam hanc utilem prædicat Autor, & dum Catalogum ſeriemve curatorum reſpicio: miror me nullum *Febre* correptum adinvenire.

§ 5. Atque quouſque facta his Autoris dictis promiſſiſque reſpondeant, ex jam animadverſis & explicatis colligere ſapienti cuivis difficile non eſt. Quâ de cauſâ brevitati quoque ſtudens, hîc pedem figo.

AD SELECTA SANATORUM.

EXEMPLA.

§ 1. QUantùm nunc ad ipſa *ſanatorum*, & *Morborum*, à quibus alij atque alij liberati per hunc fontem ſunt, annexa EXEMPLA: videntur hinc indè excerpta, eo fortè, quo nomen Prothocollo dederunt, ordine. Optâſſem autem eadem (uti quidem Morbi taliter qualiter in appensâ à me ſerie, ex Prothocollo extractâ, recenſentur) ad certa reducta fuiſſe capita, accuratiuſque, quemadmodum in caſibus & hiſtorijs Medicis fieri conſuevit, fuiſſe diſcriminata: tuncque ſine dubio, quod antè dixi, compertum fuiſſet.

§ 2. Nunc inexpertis errandi, uti & rerum gnaris maximoperè dubitandi anſa præbetur. Dum nimirùm illi, credulitate, pronâ moti, cogitant hæc ideò poſſe fieri, & ſic ſe habere; quia vir tantus, probus, doctus, experiens, ipſe Medi-

Medicus ita fieri, & ita ſe habere refert. *Hi* verò contrariantis Rationis & Experientiæ, à me jam ſuprà allegatis argumentis acti, cogitant, *vel* viri tanti credendi facilitatem; *vel* casûs inconvenientem narrationem, ex non ſatis accurato affectuum examine & diſcretione oriundam; *Vel* fallaciam cauſæ & effectûs *per accidens*, pro causâ & effectu *per ſe*.

§ 3. Cæteris autem, ut minoris momenti, prætermiſſis; maximum obtinet dubium circa Exempla ea, quæ graviſſimos referunt morbos: ut *Arthritiden Podagramque*; qualis refertur *Numero* 2, 14, 23, & 32, *Paralyſin*: qualis refertur N°. 1,2,22,33,35,36, 46, 49, 52,59, 60,61,65,69,72,& 73. *Scabiem:* qualis refertur N°. 38. *Epilepſiam*, ſeu morbum caducum: qualis refertur N°. 6, 26, & 47. *Cephalæam pertinacem* : qualis unico exemplo refertur N°. 74,*& ult.* Visûs carentiam,aut *Cæcitatem:* qualis refertur N°. 4, 7, 10, 56,*& 66. Loquelæ privationem*:qualis refertur N°.38. *Surditatem:* qualis refertur N°. 38. (quam tamen *gravem auditum* exiſtimo habendam; qualis refertur N°. 39, 45, & 51.) *Aſthma:* qualis refertur N°.50,62. *Nephritiden:*qualis refertur N°.32. *Gangrænam*: qualis referri videtur, N°. 28. aliosque ſimiles.

§ 4. Et de iis quæritur 1. *anne reverâ tales, & curatu difficiles, imò inſanabiles illi morbi fuerint?*

2. *Anne omninò ſanati, ſublati; an verò curâ palliativâ mitigati ſint, intermiſſione quâdem ægrum fallentes?*

§ 5. Et ſolutio utriuſque, inquam, pendet ex antè dictis. Atque poſterius ſaltem, nempe *palliativam* obtinuiſſe *curam*, probatur multis exemplis, hîc & alibi locorum aſſignabilibus. Sed properandum nobis.

§ 6. Antequàm autem hæc deſero: ànimadvertendum velim, temeritatem ſapere non infrequentem verba illa N°. 18, & 29, ad majoris virtutis gloriam Aquæ tribuendam addita: nempe *quòd tale fuerit vulnus, quale à Medico aut Chirurgo nullo ſanari potuit*. Quaſi verò ab hujus, aut illius Medici vel chirurgi infelice fortè curatione pendeat ſententia illa definitiva univerſalis. Quis enim ineptam non obſervat conſequentiam, ſi quis argumentetur: Hic, aut ille Medicus, vel Chirurgus non potuit ſanare; ergo nemo.

§ 7. Et experior indies hoc eſſe multis familiare, qui, quò ſuæ prætendant negligentiæ, utplurimùm ex peſſimâ & turpiſſimâ avaritiâ oriundæ, ſpeciem; promptè ignotis aſſerere ſolent: Eho! omnibus uſus fui aliis remediis, omnem medicam opem expertus ſum; & nihil levaminis, aut ſanationis ſentio. Cùm non ſemel deprehendam, ne Medicum quidem eos conſuluiſſe: ſed hujus, aut illius arrogantis Apothecarij, aut inepti Chirurgi ineptijs uſos.

Imò

Imò tantam hîc certè terrarum, experior multorum veſaniam, ut dum Medici detrectant rectum conſilium, hujus aut illius carnificis, re & nomine talis; agyrtæ, aut alius è genere jam ſuprà notatorum tenebriorum, aſtutijs ſeduci malint. Quinimò quandoque aniculæ,

—— cui nec ſemuncia veræ
Artis, & eſt ratio rectè ignorata medendi;

conſilio miſellam turbam non aliter uti deprehendo, quàm cœcum cœci manuductione. Et qui fortè Medici periti quærunt conſilium, tantam, ex impatientiâ natam, curæ ac medicationis commonſtrant *inordinationem*; ut mirari ſummè liceat. Ut pigeat me tædeatque ineptiarum, quas audire & refutare quotidiè cogor. Quare pergo

AD APPENDICEM EPICRITICAM.

§ 1. Appendit hîc Autor § 1. jam laudatis aquæ hujus Bilfeldianæ virtutibus ac curationibus, etiam eam, quæ obſervatur ipſi in *Clavis pedum* eximendis. Quæ ſanè virtus ſingularis nulla, ſed alijs varijs quotidiè uſitatis remedijs communis. Imò potiſſimam experimur hîc curam conſiſtere in *fotu* & *emollitione* per *Balneationem* conciliatâ.

§ 2. Et quantum ad uſum ejuſdem aquæ in *Scorbuto* § 2. memoratum: eundem aut ama-

bam, nos jam ſuppoſitum, ſi non clarè indicatum habere exemplis *Arthritidis*, eorumque *dolorum*; qui referuntur obtinuiſſe *per omnia corporis membra*, N°. præſertim 5, 13, 15, 16, 20, 30, 37, 54, 57, 60, 62, & 68. Qui propter Arthritiden implexam, eamque ſæpiſſimè vagabundam, *Arthritidis vagæ ſcorbuticæ* appellatione DD. veniunt.

§ 3. Deinceps quid ad iteratas Aquæ hujus laudes reſpondendum veniat, ex jam animadverſis colligitur: illud nimirùm verum fortè eſſe, quod tam paucarum hebdomadarum intervallo tot ſimilia aut paria ſanatorum exempla Autor obſervaverit. Sed quòd ſimilia & paria multa, per aquas *acidulas Thermaſque* curata, exempla non dentur; non video quî probetur. Etenim dari ea oportere, affirmabit quivis, citatos reſpiciens Autores, *locis ad Articulum hujus IX. § 3. allegatis.*

§ 4. Nec quicquam juvat, *Bauhinum*, aliosve Fontium ſcriptores non tam varia, ſed pauca fortè exempla allegare: cùm præſumere liceat, Autoribus ijs operæ pretium non fuiſſe, tam accuratam ſanatorum rationem habuiſſe, ut ſingula vel minima in Prothocollum contulerint & annotârint. Nec id neceſſum eſt: ſufficit enim, aliqua inſignia, maximè notabilia allegare exempla; ut ſcilicet ex ijs Fontis Thermarumque vires, tanquam *ex ungue Leonem*, dignoſcere liceat. Fontiſque virtutes agno-

viſſe

viſſe ſatis datur ex aliquot, juſtè ſe habentibus Exemplis; licet ſena, denave non allegentur.

§ 5. Ut hoc ſpeciale hîc ſit, ſingulari ex inſtituto ſuperiorum pendens, eorumque accurationi (uti initio hujus, videlicet *Artic.* 1. § 5. ipſe Autor refert) acceptum referendum: ſed nullam faciat ad alios Fontes Thermaſque conſequentiæ certitudinem.

§ 6. Quantum enim ad *Affectuum, morborumque Nomina*, eadem omninò referuntur ab AcidulorumFontium Thermarumque ſcriptoribus citatis. Imò plura: ſicuti in cæteris reſpectu *Pirmontanarum* aquarum & Thermarum, videre eſt, ex laudati *Bolmanni* deſcript. cit. *part.* 1. *cap.* I X. *p.* 57, 58, 59, *& ſeqq. item part.* I I. *cap.* I V. *p.* 117, 118, *& ſeqq.* Atque reſpectu *Spadanarum* aquarum, expreſſis aſſertum terminis videt, quiſquis (præter Spadacrenen laudati *Henr. ab Heer*, & ea quæ refert CL. *Chriſtian. Lange*, ſuprà laudatus cit. in tractatu de *Thermis Carolinis, cap.* I V. *n.* 44. 45:) conſulit ἀνωνύμως editam, *Spadanarum aquarum* deſcriptionem; & ad earundem uſum manuductionem, Belgico idiomate *Amſtelredami, anno M, DC, LIX, editam* titulo: **Den wech naar het** S P A A: **maniere van Leeven aldaar / 't gebruik ende kracht van die Wateren.** Ibidemque *pag. mihi* 8. inſignia non ſolùm morborum nomina plurima, ſed & ea quæ hîc ab Autore intermittuntur, curata

eſſe referuntur: uti ſunt *Febres*, *Icterus*, *Leucophlegmatia*, *Melancholia*, *Lues Venerea*, *Lepra*.

§ 7. Quinimò contrarium alijs ſaltem obſervatum fuiſſe, patet ex § 7. & 9. ipſi Autori allegatis exemplis. Apud *Hornhuſanum* enim fontem (qui videlicet detectus fuit in pago Hornhauſen / in Diœceſi Halberſtadienſi, in diſtricta Oſchertz leben/ ſex milliarum Germanicorum itinere diſtante à Schönbeck ad Albim, anno hujus ſeculi XLVI.) *inaudita* obſervata fuit *frequentia*, & præter propter *tria* variè ac graviter ægrotantium *millia quinque menſium ſpatio* ſanata narrantur. Videſis *Theatri Europæi*, Autore I. P. *Lotichio* edit. in fol. *Part*. v. *pag*. 1117. *b*. & 1118. *a*. & ibidem accuratiſſimam tabulam. Et apud eum fontem, qui ad duorum milliarium diſtantiam ab Hamelen detectus fuit, obſervatus Ægrotorum tantus numerus fuit, ut invaſionis & depopulationis metum vicinis Dominis incuteret. Cùm hìc *trium menſium* decurſu non ultra *quingentos* audiam curatos ægrotos, frequentiam & confluxum dictis longè minorem.

§ 8. Et quòd de *origine* eorundem Fontium, & *derivatione virtutis* Autor ait, *diverſos Autores diverſa ſentire*: non magis hoc mirari licet, quàm rebus in aliis, aliquàm inveſtigandi & cognoſcendi difficultatem habentibus. Ita tamen non diſſentire obſervo, quin in maximis plurimiſque conſentiant.

§ 9.

§ 9. Quod eatenùs ſufficit judicioſo Lectori, quatenùs ex maximis & primæ notæ ſignis res ſignata judicari maximam partem queat; donec ulteriore bene natarum mentium induſtriâ res magis reddatur manifeſta, & judicandi concilietur quàm deſideratiſſima copia.

§ 10. Ut nihil referat, ſive ſubſequatur, ſive non, de hoc *Bilfeldiano* fonte, *viriumque* ejus *origine*, & *virtutis derivatione* Autorum *conſenſus*: propterea quòd (uti jam cavi ſeriò) res *Rationis* ſit, uniuſcujuſque rerum Phyſicarum gnari judicio ita ſubjacens; ut facilè rectum à pravo, genuinum à notho & imaginario diſcernatur ac diſcriminetur. Sicque quod ſtatuendum eſt, facilè ſtatuatur.

§ 11. Cæterùm quod hîc Autor attingit de relationibus Fontium quorundam, qui *vix detecti ſint, quin operari deſinerent*: jammodò allegavi ſuprà ad *Articulum* XIV. § *mihi* 5, *&* 6, atque rationem verbo addidi.

§ 12. Quinimò notare hîc licet, quod de *Thermis piperinis* in Rhætiâ ſitis, refert laudat. ſuprà *Guil. Fabr. Hildanus*, quòd videlicet ſtato tempore ſiſtuntur, ut continuò fluere non poſſe deprehendantur, *p.* 69, *&* 70. Et operæ pretium videtur ea excerpere, quæ de iiſdem ſcribens Thermis laudatus aliquoties D. *Chriſtian. Lange* narrat. *Tota*, inquit, *Numburgenſium ditio & vicinorum juxta locorum tractus ſat dives, & abundè fertilis hinc indè Minerarum eſt,*

ut alijs propterea parum, aut nihil cedat: quemadmodùm & Metallorum principum ibidem loci luculenta non deſunt veſtigia. In hâc ipſâ appellati circuitûs perluſtratione, cùm à Numburgo ſala flumen trajeciſſemus, non procul ab illo (res ſanè notatu digniſſima) FONTEM *offendimus, qui tum temporis quidem animâ ſuâ, h. e. Aquâ carebat; aſt* SUO ET CERTO TEMPORE *ſcaturigine fœcundâ gaudere ſolet. Sicuti ibidem Fontes*, addit, *non pauci, modò pleni, modò & rurſum vacui opperiuntur: undè & has ipſas ſcaturigines vulgari ore* TEMPORANEAS, *noſtro autem* Die hunger-Quelle *vocitant l. c. cap.* 11. *n.* 94. *&* 95. Quæ etiam per rationem à me ſuprà datam intelligi & accipi poſſunt, ac dijudicari.

§ 13. Quòd autem quibuſdam illarum relationum fides tam exigua habeatur, ut *à multis hodiè Fabulis aliquâ parte annumerandæ veniant*: eâdem ex Ratione pendet, quâ illud demùm ſanis admittitur ingeniis, quicquid veriſimilitudinem habet. *Fide* ſcilicet *hiſtoricâ* dictâ; hâc ſubjunctâ formulâ: *Fides ſit penes Autorem!* Creditur autem & approbatur nihil, niſi, quod & ſuprà dixi, evidentem & certam implicet, ad rerum hujus Univerſi naturam, ſyntaxin & Oeconomiam (quippe quæ certis regulis, certis legibus, uti inſtituta, ſic regitur, ad nutum ſapientiſſimi, potentiſſimi & optimi Opificis & Oeconomi Dei) habitudinem; ut eſſe, fieri, operari

operari taliter qualiter, refertur, queat, vel nequeat.

§ 14. Hinc, ubi de Fonte illo mirifico, propè fluvium *Albim* abhinc ducentos & quadraginta annos, detecto, **Glonach** nominato, „ refertur: quòd *Pacis* tempore, ad *vini* genero- „ ſiſſimi morem homines inebriârit: *Belli* verò „ tempore *Sanguinem* prodiderit, & *Cineres*. „ Quiſquis accuratus rerum obſervator, novit *Sanguinem verum* ex fonte perNaturę ordinem non profluere; & miram illam ſanguinis à *Cineribus*, ex eodem fonte prodeuntibus, diſcriminationem animadvertit, & reſpondet: Fides ſit penes autorem! ſi verba, prout jacent, fuerint ſumenda.

§ 15. Exceptâ tamen licentiâ ſcriptoris in nominibus *Pacis* & *Belli*: ita cætera explicari poſſunt, ut idem ille Fons ratione *effectûs*, propter ſummam ſpirituoſitatem & activitatem aquæ (quemadmodùm & in hôc Bilfeldiano fieri notatum ſuprà) inſtar *Vini* generoſiſſimi, bibentes inebriaverit: ratione *materiæ* verò, ejus fontis aquam *conſtituentis*, modò *rubicundam*, modò *cineraceam* aquæ admiſtam terram; ſicque modò magis, modò minùs, colore *ſanguini* ſimilem aquam prodiderit. Quemadmodùm varij, *rubicundi, cineracij, albicantis, flavi, viridis, cærulei*, &c. coloris *terræ* in ipſis. Fontibus, & circum circa Fluvios, & in montium viſceribus inveniri & erui ſolent (apud Foſſilium

lium ſcriptores ex inſtituto recenſeri ſolitæ), ita ut perfluentem qualémcunque tingere deprehendantur ipſammet aquam, modò magis, modò minùs, pro cæli conſtitutione &c. Hocque fortè accidiſſe intelligendum eſt, ut vel dum eſſet Bellum, terrâ illâ rubicundâ à qualicunq; causâ commotâ, tingeretur magis aqua; vel tunc temporis his illiſque rerum ignaris creduliſque illùc tranſeuntibus, obſervata talis fuerit; dum Pacis tempore, ratione *effectûs* ſalubris à confluentibus ægris biberetur, inebriareque deprehenderetur. Tuncque omnis ceſſat eatenùs admiratio & dubitatio.

§ 16. Talis eſt etiam illa hiſtoriola, quam prodit nobis laudatiſſ. *Langius* l.c. *cap.* IV. *n.*7. *In Bojuca*, inquit, *inſulâ, non ita procul ab Hiſpaniola, ſcatere Fontem memorant, qui tantâ virtute præſtet, ut ſenes poculum exindè adhibentes juventæ florem, ac ſanguinem ſtatim denuò recipiant vernantem.* Sed quid opus eſt me aliorum relationibus enodandis ac cum Ratione & Experientiâ genuinâ conferendis tempus, adeò utile, adeò pretioſum, & longe melioribus dicatum negotijs impendere?

§ 17. Et quantum denique ad *Abuſum Medicinæ*: eum juſtiſſimè notat & reprehendit Autor. Et vetus à primis uſque Medicinæ natæ temporibus DD. querela fuit: artem hanc turpiſſimè & nefariè per ineptos, temerarios multos homines traduci. Et ne omnes memorem,

rem, vel recentiores etiam: egregiè in eos invehitur laudatus ſuprà *Tabernæmontanus*, *Præfatione ad Theſaurum ſuum allegatum* ↄ ciiij. Item laudatus D. von Hörnigk / *l. c. quæſt. xij. pag.* 83. *& ſeq.* Et exempla inepti conſilij vide apud eundem *qu.* 64. *p.* 281. *& multis ſeqq.* Omniumque noviſſimè, multorum, vel religionis aut pietates zelo quaſi actorum, temeritatem, & ineptiſſimum ac ſummè culpabile ſtudium, eique à vulgo habitam immeritò fidem graviter carpit ac reprehendit, experientiâ atque eruditione celeberrimus Medicæ artis antiſtes, D. *Bernh. Rottendorffius, in Præfatione ad Conſilium ſuum circa Febrem*, hodiè ferè epidemiam & communem, *Ungaricam* appellatam, ex artis regulis citò, tutò & jucundè curandam, ↄ ciiij. *& pag. ſeqq.*

§ 18. Et uti quâvis occaſione oblatâ ſoleo obiter, ſic quamprimùm horulam ſuffurari licebit, ex inſtituto perſtringere conabor omnem eum abuſum, atque docere quanta res Chriſtiano ſit, *Medicum agere.* Interim his fruere mecum, LECTOR, quiſquis bene volenti bene velle ſoles, & favere.

FINIS.

SERIES

SERIES

Morborum, qui fonte BILFELDIANO ſaluberrimo curati ac profligati ſunt, à IV. d. Julij. noviſſimi hujus anni M, DC, LXVI. uſque ad XXII. d. Septembris.

1.	QUi laborabant *reſolutis & contractis membris*, ſanati ſunt.	69.
2.	Qui *Podagrâ.*	7.
3.	Qui *Cæcitate.*	21.
4.	Qui *fluxu* alvi *ſanguinolento.*	2.
5.	Qui *dolore* membrorum *univerſali.*	87.
6.	Qui *crurum madente, ſordido ac periculoſo ulcere.*	36.
7.	Qui *Catarrho* capitis & oculorum.	34.
8.	Qui *Scorbuto.*	45.
9.	Qui *Laßitudine* & *Languore* omnium membrorum.	18.
10.	Qui *Inappetentiâ.*	6.
11.	Qui *Tumore* vario.	20.
12.	Qui *Epilepſiâ*, ſeu morbo caduco.	2.
13.	Qui *Impetigine.*	7.
14.	Qui *fiſtuloſo, ac ſinuoſo ulcere.*	18.
15.	Qui continuâ *Nauſeâ*, & *Vomitu.*	3.
16.	Qui Calculo ſeu *Nephritide.*	5.
17.	Qui *Cardialgia.*	18.
18.	Qui *Surditate.*	9.
19.	Qui *Hydrope.*	1.

20.	*Qui Herniâ.*	3.
21.	*Qui Diarrhaâ.*	1.
22.	*Qui clavis pedum*, vulgò Leik-dornen.	1.
23.	*Qui Vertigine.*	2.
24.	*Qui Aſthmate.*	4.
25.	*Qui Ventriculi imbecillitate.*	12.
26.	*Qui Scabie.*	1.
27.	*Qui procidentiâ Ani.*	2.
28.	*Qui tremore* membrorũ,& *Palpitatione.*	2.
29.	*Qui* variâ *Excreſcentiâ* (Gewächs.)	2.

Subſcriptum erat Faciunt ſimul 438.

Rogatus hæc ex noſtro Prothocollo extraxi

FRANCISCUS Könebruch.

GEBETH/

Welches bey dem zu Bilfeld An. 1666. am. 2. Sontag nach der H. DreyEinigkeit entſprungenen

Heyl-Brunnen

In der ordentlichen Beth-Stunde abgeleſen wird.

HEiliger GOtt / barmhertziger Vater/ wir diene arme und elende Kinder ſtehen für dir/und erkennen deine unaußſprechliche Güte/ die wir von unſer ſündlichen Geburth an verſpühret/ daß du uns zu einer vernünfftigen Creatur gemachet / durch deines Kindes Bluth von Sünden abgewaſchen/und durch deinen Heiligen Geiſt ſolches in unſerm Hertzen vergewiſſert. Wir liegen hier für dir/ und ſcheuen uns/ daß wir alle geſündiget/ und deinen Geboten ungehorſam geweſen. Du hätteſt recht gehandelt / wann du mit uns wäreſt umgangen wie wir gelebet / und gerichtet wie wirs verdienet. Aber HERR du haſt an deine Barmhertzigkeit gedacht / und dich nicht gekehret uns zuverderben. Ein groſſes haſt du uns darin bewieſen / daß du uns durch dein Wort zu deinem Mahl läſſeſt ruffen. Diß iſt das Gut/das unſre Sele labet. Aber HErr! hie iſt noch das Ziel deiner Güte nicht / du haſt

haſt deine Gnadenſtröme noch weiter flieſſen laſſen/und haſt auch angefangen unſere Leiber durch einen entſprungenen Heyl-Brunnen zu erquicken. Ach JESU! haſt du denn vergeſſen / daß wirs ſind / die das Unrecht in ſich geſoffen haben wie Waſſer? Wie unwürdig ſind wir Sünder doch deiner Gabe? Nun/ groſſer GOtt! wir deine Kinder erkennen es mit Kindlichem Danck/und bitten umb JEſu willen/ daß du uns ferner mit dieſer Wolthat überſchütten wolleſt. HERR JEſu! wir ſuchen bey dir Raht und Hülffe. Du biſt unſer einiger Seelen-Artzt / ſo nim dich auch unſer Leiber an / und beſchere denſelben Heyl. Verleyhe dem Waſſer-ferner Krafft / daß es uns zu unſer Geſundheit diene/und uns heyle/ wie Naeman den Syrer/ als er ſich im Jordan wuſch. Du kunteſt den Blindgebohrnen durch deinen Speichel wieder ſehend machen. Du kunteſt die Krancken heylen/ ſo ſich im Teich Betheſda wuſchen: Alſo mache es/daß wir doch auch die Gnade ſpühren/die du ſchon ſo vielen bewieſen haſt. Zwaer/ wir erkennen gern / daß der ſchnöde Sünder-Leib deine ſchwere Hand / und viel Kranckheiten wol verdienet habe: Aber HERR! was wilt du mit dem elenden Staube zürnen / der ſich ſelbſt nicht rathen noch helffen kan? Wir hangen an deinem Vaterhertz / O groſſer Gott! drumb heile doch das elende Volck/deine arme

Kinder. Nun/ wir wiſſen/ daß deine Güte ſo groß iſt als dein Weſen/und daher hoffen wir deine Hülffe/ſo es anders unſer Seelen dienet. Sonſt / liebſter JEſu / ſo weiſt du / daß der krancke Leib die Seele ſehr beſchwere / drumb errette den Leib/auff daß die Seele nit gebunden ſey. Wir armen Menſchen verheiſſen hingegen / daß wir dir unſer Lebelang unſere geſunde Glieder wieder ſchencken wollen. Unſer Mund ſol frölich deinen Nahmen preiſen. Unſere Augen ſollen eintzig auff dich gerichtet ſeyn. Unſere Füſſe ſollen bloß auff deinen Wegen gehen. Unſer Hertz ſol immer deine Ehre tichten. HErr/ wir bitten noch eins/ gib dem Waſſer ferner Krafft / wir wollen unſere Schuldigkeit mit der bußfertiger Sünderin mit Thranen-Waſſer hinwieder bezeugen. Verſchmehe es nicht / unſer GOtt / du weiſt/ daß wir nichts beſſers haben.

Solte es aber dein Wille ſeyn / unſere Kranckheit nicht von uns zu nehmen/wol an/ ſo geſchehe dein guter und väterlicher Wille. Es muß doch lauter Gnade ſeyn / was uns daucht ein Schade zu ſeyn. Mache es nur/ wie es dir / o GOtt / rühmlich / und uns ſeelig. Vielleicht mächte unſere Seele kranck werden / wan unſer Leib geſund würde. Und weil wir ſchwache Gefäße / ſo gib uns die Gnade / daß ſich unſere mitleidende Brüder und Schweſtern durch unſere Geduld tröſten

können/

können / und daß wir unſer Creutz und deine Heimſuchung nicht als ein Zeichen des Zorns / ſondern als ein Warzeichen deiner Liebe achten mügen / und uns im Thun und Laſſen ſo anſchicken / daß wir dir ewig gefallen mügen. HErr GOTT Vater / erhöre deine Kinder. Liebſter JESU / erbarme dich deiner Brüder. Du ſüſſeſter Tröſter / erquicke unſere Glieder. Amen / hilff JEſu / umb deines Todes willen / Amen!

Doctiſſ. & experientiſſ: viro,

D. BERNARDO CHRISTIANO Stöckero, Philoſ. & Med. Doct.

S. P. *Bileſeldiam.*

Doctiſſime & experientiſſime Domine,

NOn rerum novarum cupido, ſed valetudinis bonæ ſummum deſiderium, agit harum latorem, ut eam è fonte hauriat & guſtet *Aquam*, quam fama adeò laudat. *Intellige aquam Bilfeldianam menſe Julio & Auguſto anni* 1666. *magnâ cum frequentiâ quaſitam & laudatam.* Me autem cognitionis adaugendæ & perficiendæ ardor, ſtudiumque felicioris curæ incendit, ut ex te amicè quæram 1. QUANDONAM *aqua hac* PROSILIRE, *ſeque manifeſtam facere inceperit?*

2. *CUJUSNAM NATURÆ verè ſit, ſeu quænam eandem conſtituentia obſerventur principia, aut minima, quæ Elementa vulgò vocantur?*

Et 3. *Num* EXTERNUM *aque, ac* INTERNUM *habeatur remedium? Sicque Lavamenti, aut Balnei, aut Epithematis convenientis nomine venire queat?*

Et 4. *denique, an* UNIVERSALE, *nec ne?* Atque, ſi iis juſtè ſatisfeceris quæſtionibus, me habebis amicum gratum, & ejus remedij ſummum

mum fautorem ac cultorem. Interim omnia tuis laboribus voveo fauſta & felicia,

Raptim Steinfurti,
d. $\frac{19.}{29.}$ *Auguſt.* M, DC, LXVI.

NICOLAUS HOBOKENUS.

Ad Doctiſſ. & experientiſſ. D. Doctorem Medicinæ Stöckerum, *Bilefeldiæ praxin exercentem.*

QUæritur: An Aqua *Bilefeldiana* cenſeatur uſui eſſe poſſe *Ægræ* LXXII. *annorum*, per triginta annorum, præter propter decurſum miſerè, modò *Arthritide*, Podagrâ, Chiragrâ; modò *colicâ paßione*, modò *crurum tumore ulceroſo*, modò *Nephritide*, modò *Lienis dolore*; modò *Febre quotidianâ, tertianâque*; modò *Vertigine*; ſæpè *Catarrho*, eoque vario & continuò *Herniâ umbilicali* laboranti? verboque reſponſum expectatur.

Steinfurto miſſum
d. $\frac{19.}{29.}$ *Auguſti*, 1666.

S. P.

Ampliſſime & excellentißime Vir, D.ne & Fautor plurimùm honorande, &c.

UT pergrátis ad me datis breviter reſpondeam: ſcias pervelim, I. *de principio Aquæ Bileſeldianæ* (cùm quidam hâc æſtate, quidam, ante

ante aliquot annos ſcaturijſſe referant) Diverſas eſſe opiniones.

2. Reperiuntur in illâ pauca mineralia: *ſal* tamen *terræ* omnibus prævalet. *Nitrum*, cum *vitriolo Martis* & *Veneris* vix cognoſci poteſt. Miracula quotidiana effectum miraculoſum ſat demonſtrant.

3. *Externum* magis,quam *internum* cenſetur remedium. *Lavamenta*, *Balnea* & *Epithemata* ex eâ parantur.

4. Videtur potiùs *Univerſale*, quàm *particulare.*

5. Ad ultimum affectum, *Intellige, præmiſſam hiſtoriam alicujus ægræ* 72. *præter propter annor, varijs graviſſimis affectibus, laborantis; quæ ſeorſim tranſmiſſa erat.* In Ægrâ 72. annorum reſpondeo:
Similes affectus hîc aliquoties, non quidem *collectos* in unâ perſonâ, ſed in pluribus curatos eſſe.

6. Cùm autem cum tempore *autumnali, pluviæ* nobis magis magisque appropinquent, & cum illis aquæ noſtræ miſceri potuerint, omnes ægrotos, niſi ſumma urgeat neceſſitas, in ſequentem annum remittimus. Hiſce valeas, meque tibi commendatum habeas,

Bilefeldiæ, 4. *Septembr. ſt. n.*

1666.

In-

Inſcriptio erat:
A Monſieur,
Monſieur Nicolas
Hoboken, Docteur
en Philoſophie & medicine,
& Profeſſeur.
à Steinfurt.

Ampliſſ. & Excellentiſſ.
Tuæ Domi.
Addictiſſimus ſervus.
BERHARDUS CHRISTIANUS STOCHER,
Phil, & M. D.

Doctiſſ. & experientiſſ. viro,

D. BERHARDO CHRIST. STOCKERO, Phil. & Med. D.

S. P. *Bileſeldiam.*

Doctiſſime & experientiſſime Domine,

Reſponſorias 4. *Septemb. ſt. n.* rectè redditas, legi avidè ac relegi. Quibus, propter quædam ulteriore examine digna obſervata, reſpondere, tuamque reſponſionem iteratam, ſub amicitiæ ulterioris, majoriſque teſſerâ, petere cogor.

Et 1. quidem miror, diverſas ſuper *principia ſcaturitionis Intellige manifeſtatum fontem Bileſeldianum* eſſe opiniones; cùm res ſit tam aperte obſervationis. Fontem enim in loco dari, audio, ferè ſuburbano. Et, ſi diverſæ dentur opiniones, quæ impoſſibilitatem determinationis præ ſe ferunt; miror, quòd in formulâ illâ *Precum*, vobis uſitatâ (quam typis datam hîc habemus) determinetur, ac dicatur proſilire

 ince-

incepiſſe 2. *Trinitatis*; & in *Catalogo ſanatorum* hùc tranſmiſſo, 1. Julij, proximè elapſi?

2. Si pauca in eâ aquâ inveniantur *Mineralia*; plurimùm ſcilicet *ſalis*, parum *Nitri*, *Vitrioli*, *Chalybis & Sulphuris*: non poſſum videre, quî tam admirandi eâ edantur effectus; ſanationes nimirùm *paralyticorum*, *ſurdorum*, *cœcorum*, *mutorum*, *Arthriticorum*, &c. Ut fidem ſuſpendere ac cohibere ſuadeat Ratio, donec *claræ Experientiæ* (quæ certè in naturalibus cum *Ratione* jungi ſolet, in quibus puta rerum, omnipotens quidem, ſed & ſummè liber opifex, Deus hodiè non cenſetur velle operari, niſi proportionatis intercedentibus medijs; quò cauſæ ſecundæ ſuum relinquatur munus, ſuæ efficientiæ uſus) argumentis certior redditus, quòd verè tales ægri fuerint, quales referuntur; & dein *ſanati* verè, non ſolùm nudè *curati*, uti omnes quidem quomodocunque curari ſolent, credere debeo. Non oportet enim Philoſophum ſeu rerum ac effectuum naturalium ſedulum inveſtigatorem (cui familiare eſſe nôſti, quòd *à privatione totali ad habitum naturaliter non detur regreſſus*), argumento à poſteriori deſumpto, fidem ſuam cum vulgo temerè effectûs hiſtoriæ locare, ſine juſtâ cauſæ, undè defluxiſſe ac dependere narratur, examinatione. Nec ſufficit, dixiſſe: hæc habenda eſſe *miracula*; cùm ſit adverſus uſitatum Theologis morem definiendi *Miraculum*, quippe quod, vel ſine

ſine ullo medio, vel cum medio, ſed propter „ diſproportionem atque ineptitudinem ad medendum, remedio nullo; utcunque verbo Dei „ ſingulariter benedicente, fieri conſuevit. Sicut „ novi imprimis Inſtrumenti exempla à noſtro ſervatore, & Apoſtolis ejus edita commonſtrant. Hìc autem habemus *Aquam*, medium medicationi aptum adeò, ut eâ mediante non *curari nudè*, ſed (quod longè plùs ſignare, jam ſuprà innui) *ſanari* referantur dicti ægri.

3. Si *externum* (uti ipſe aſſeris) magis, quàm *internum* cenſeatur remedium; quomodò & quamobrem ergo plures invenio in ſanatorum dicto catalogo, ab *interno*, quàm *externo*, morbo liberatos? Et quo quæſo pacto *Paralyticos, Arthriticos* univerſales; *Mutos, ſurdos*, aut *Cæcos*, ob nervorum obſtructione interceptum organorum reſpectivorum cum Cerebro ac cerebello, ex Naturæ lege debitum, commercium?

Ne dicam univerſalem corporis *Cacochymiam, Arthritidis, Scorbuti, Catarrhi, Tumoris ulceroſi, Nephritidis, obſtructi Lienis, Febris*, &c. cauſam, maximam, ſi non omnem, partem per *interiora* curandam.

4. Et quomodò, inquam, erit tunc *univerſale* magis (uti reſpondes 4.), quàm *particulare*, remedium: id eſt *morbum* potiùs *univerſalem*, quàm particularem (uti ex DD. uſitato diſtinguendi more intelligi debet; cùm *Reme-*

dium aliter univerſale nominetur, quod inſtar *Panacea*, *omnibus* curandis *affectibus* inſervire aptum natum eſt) curans ſananſque? Quales etiam recenſiti varij ſunt in Ægrâ illâ 72. annorum, 5. tibi rememoratâ: puta *Cacochymia Scorbutica*, *Arthritis*, ſæpè irruentes *Febres*, &c.

Et quod 6. addis ac caves, *de Autumnali tempore* frequenter interruere ſolitis *Pluvijs*, earumque noxiâ admixtione, plùs quàm veriſſimum eſſe, facilè aſſero. Uti hoc in omnibus obtinet fontibus, menſibus *Junio*, *Julio*, potiſſimùm operantibus. Verùm, quò alacriori animo Ægros ſequente anno tranſmittam, expecto jam dictis ſcrupulis congruenter, tuas iteratas. Interim vale, *vir doctiſſime*, *experientiſſime*; & habe me

Raptim dedi Steinfurti in Muſeio meo, 30. *Aug. ſt. v.* M, DC, LXVI.

Tibi addictiſſimum

N. HOBOKENUM.

In

In noviter detectum Fontem Bilfeldianum.

ARcades invidiâ claudant, largoſve recludant,
Hâc poſitâ, Latij, fontes; Bœotia terra
Obturet venas; amneſque ſuos reprimantve promantve
Cappadoces; turbent, ſervent Galatæque Lycique
Tectas fontis aquas; vivant, tectaſque relinquant.
Nil moror: optatus noſtris conterminus oris
Fonticulus detectus adeſt, qui queiſlibet ultrò
Pellucidis undis ſeſe ſitientibus offert,
Divitibus gratus, gratus quoque rebus egenis,
Ignotis, notis, pueris ſenibuſque, ſalubris
Obſcura de gente ſatis, & origine claris.
Quid ſit? fama volat, circumque jacentis ad aures
Primum, dinde loco ſine morâ nunciat omni.
Unde hominũ turbam, videas properare miſellam
Undique ad hunc unum, videas remeare beatam.
Stipatâ veniant alvo, rellicta, ſolutâ,
Limina mox repetunt; ubi mollia ſaxea reddit
Auſonia, extemplò hic fons ſaxea mollia reddit
Viſcera; corporibus ſcabiem, fœdumve colorem
Inducant alij fontes; Bilfeldia *turpem*
Corporibus ſcabiem inductam pellere novit.
Styx properet fatum; properantia fata repellit
Fonte ſalutifero Felix Bilfeldia. *(paucis),*
Multis incorio poſitis ſua priſtina reddit
Attamen haud miro quodam, vulgive ſtupore;

Occul-

Occultum, luci dedit ars occulta per agnem.
Felicem dicet te Brandenburgica *tellus*
Omnis homo, nomen veſtrum celebrabitur omni
Grandius ingenio caſurum tempore nullo.
Inque bonum miſerûm, fluxu fluat uſque perenni.
Quod Vovet ex animo

G. HeckHuls Zutph.
M. D. Amſt.

CON-

CONTENTORUM

Syllabus univerſalis.

I. NIc. *Hobokeni* Oratio, de incompatibilitate ſervitutis cum Philoſophiâ, & munere veri Philoſophi. pag. 9
II. Hexametrum ad Conrad. Redekerum. pag. 33.
III. *Conr. Redekeri* Præfatio ad Lectorem benevolum. pag. 35
IV. Ejuſdem ipſa Fontis Bilfeldiani Deſcriptio. pag. 36
V. Ejuſdem ad ſelecta Sanatorum, & ipſorum Morborum Exempla Introductio. pag. 69
VI. Exempla ipſamet, circumſtantijs inveſtita. pag. 70
VII. Appendix Epicritica, de hujuſce Aquæ Bilfeldianæ cum aliis collatæ, præſtantiâ. De Fontium origine, & effectis per ſelecta exempla demonſtratis, &c. pag. 83
VIII. Syllabus Præfatione, & ipsâ Deſcriptione fontis Bifeldiani contentorum *particularis.* pag. 87
IX. *Nic. Hobokeni* Animadverſiones, præfixâ Fontis ipſius delineatoriâ Tabellâ. pag. 93

X. Se-

X. Series Morborum, qui Fonte dicto curati ac profligati ſunt, univerſalis. pag. 158
XI. Formula authentica Precum, apud fontem horis matutinis quotidie fieri ſolitarum. pag. 160
XII. *Nic. Hobokeni* Literæ ad Bern. Chriſtian. Stöckerum, ſuper eodem fonte. pag. 164
XIII. Quæſtio ad eundem conſultoria, ſuper *Ægrâ* LXXII. *annorum*, num Aqua prælaudata uſui eſſe poſſit? pag. 165
XIV. *Bern. Chriſt. Stöckeri* Reſponſio. pag. 165
XV. *Nic. Hobokeni* literæ ad eundem iteratæ. pag. 167

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

A 147:

Digitized by Google

XXIX
C 29

BIB
V